


62710. 3. 3.

LIVONIAE COMMENTARIUS,

GREGORIO XIII. P. M.



ab

ANTONIO POSSEVINO, S. J.,

scriptus.

A C C E D U N T:

Eiusdem litterae ad nominatum Episcopum Vendensem, Abbatem Trzemesnensem, et
Regis Stephani Bathorei instructio, Georgio Radzivillo, totius Livoniae Praefecto, ad
provinciae hujus regimen data, nec non ejusdem Regis litterae ad J. D. Solikowski
de curandis Rigae templis catholicis.



LIVONIAE COMMENTARIUS,

GREGORIO XIII. P. M.

ab

ANTONIO POSSEVINO, S. J.,

scriptus,

nunc primum editus e codice Bibliothecae Vaticanae,

addito prooemio et adspersis nonnullis annotationibus.

A C C E D U N T:

Eiusdem litterae ad nominatum Episcopum Vendensem, Abbatem Trzemesensem, et
 Regis Stephani Bathorei instructio, Georgio Radzivilio, totius Livoniae Praefecto, ad
 provinciae hujus regimen data, nec non ejusdem Regis litterae ad J. D. Solikowski
 de curandis Rigae templis catholicis.



Rigae,

typis Guilielmi Ferdinandi Haackeri.

MDCCCLII.

ДИАТИМНОЕ ПАНОУ

GRÉGORIO XUL P.

d3

АЛГОРИТМЫ ПОДДЕРЖИВАЮЩЕЙ СИСТЕМЫ

www.birkmann-editions.de Biologische Legende

hic commentarius ea lege, ut, quam primum ex officina emissus fuerit, numerus exemplorum eius legibus constitutus collegio libris inspiciendis exhibeatur.

Rigae, die XI. m. Octobris et d. XII. m. Novembris a. MDCCCLII.

Dr. J. G. Krohl,
librorum censor.

**ALMAE
UNIVERSITATI LITTERARUM
DORPATENSI,**

FESTA SEMISECULARIA CELEBRANTI

D. XII. ET XIII. M. DECEMB. A. MDCCCLII.

OBSERVANTIAE ET GRATULATIONIS CAUSA

D D D

SOCIETAS AD PERSCRUTANDAS ANTIQUITATES PATRIAS ET
RES IN LIVONIA GESTAS RIGAE CONSTITUTA.

PROOEMIUM.

Cum republica Livoniae, exerto a. 1558. bello Ruthenico et extincto a. 1562. in his terris ordine theutonico, dilapsa esset, quinque harum terrarum, quae latiori sensu Livoniae nomine comprehendebantur, erant domini: 1. Narva, Dorpatum, Jerviae et Vironiae partes et omnia in confiniis Russicis sita loca parebant magno Duci Russiae, Joanni Basili-
di II.; 2. Regis Sueciae erant Harria, Revalia et pars Vironiae; 3. Dux Holsatiae Magnus tenebat reliquam Estoniam, districtum seu episcopatum Piltinensem et insulam Osiliam; 4. Gotthardus Kettler, Ordinis quondam magister, Curoniam et Semigalliam in feudum acceperat a rege Poloniae Sigismundo Augusto, et 5. hic Livoniam meridionalem cum urbe Riga, nondum ejus ditioni addicta, in sua habebat potestate, cui Livones se subjecerant. Sed se credens haeredem legitimum omnium Livonicarum regionum, statim post inita cum Livonibus pacta subjectionis a magno Duce Joanne postulavit, ut exercitum suum e terris ad Ordinem prius pertinentibus domum reduceret damnaque illata restitueret; magnus autem Dux, jure suo sibi vindicans Livoniam, ei non cessit, et inde ortum est bellum pertinax, quod varia quidem fortuna, sed aqua saevitia ab utraque parte per viginti fere annos gestum est. Quo grasse-
sante, res Livoniae, quae proprie sic dicebatur, stabiliri non potuerunt, et mortuo demum Sigismundo Augusto (1572), post interregnum Hen-
rici, principis Galliae, et electionem Imperatoris Maximiliani II. mox defuncti (1575), simul electus a Polonis rex Stephanus Bathoreus, princeps Transylvaniae, regnum adeptus, Livoniam nonnisi extra Livoniam

recuperari posse ratus, fines Russiae armata manu ingressus, a. 1579. Polociam et Weliki Luki expugnavit et Moscoviam pergere conatus est; sed ad Plescoviam haesit et Schuiskii valida defensio hujus urbis regem impedivit, quominus longius in Russiam irrumperet: nam ejus copiae, diurnitate obsidionis fatigatae, tumultuosiores esse coeperunt. Interim magnus Dux quoque, securitatem pacis paeferens discrimini belli, proclivior erat ad pacem ineundam, quam utrique suadebat legatus pontificius Antonius Possevinus, Societatis Jesu, vir doctus et prudens, apprimeque versatus in negotiis dirigendis¹⁾. Hic, bis jam legati munere in Suecia functus, ubi regem Joannem ad abjurandam religionem lutheranam permoverat, sed doctrinam catholicam ita stabilire non potuerat, ut erat in votis ejus²⁾, a. 1580. iterum a Pontifice maximo missus ad regem Poloniae et magnum Ducem Russiae, ut illi de pace, huic de orientalis ecclesiae cum occidentali conjunctione persuaderet, felici successu eo pervenit, ut a. 1582. die 15. Jan. Kiwerowahorcae seu ad Jamum Sapolsciae pax iniretur, qua magnus Dux a se captam Polociam, et praesidiis suis munitam Livoniam regi cessit, hanc agnoscens pro regni Poloniae provincia, rex urbes et terras ruthenicas, quas occuparat, magno Duci reddidit. Igitur Bathoreus, securus a Ruthenis et Suecis, ut etiam Danis, mortuo a. 1583. duce Magno, animum rebus Livonicis advertit, et accepta deditio urbis Rigae certis sub conditionibus, Livoniam ipsam, diurno bello vastatam et debilitatam, habuit tanquam terram occupationis jure sibi submissam, qua uti posset pro voluntate sua, praesertim cum Livonibus ad resistendum deessent vires. Livoniae constitutio pendebat a Pactis subjectionis a. 1561. initis et a Pactis unionis cum magno Ducatu Lithuaniae a. 1566. sancitis et plane diversa erat a regiminis forma, quae in Polonia valebat. Rex hanc diversitatem delere conabatur, ut Livoniam cum Polonia arctius conjungeret et misceret. Igitur novas dedit Livoniae Constitutiones civiles, totam provinciam diuisit in Palatinatus, judicia instituit ad instar polonicorum, eaque subjecit tribunali regio Lublinensi;

¹⁾ nat. Mantuae a. 1534., denat. Ferrarae die 26. Febr. 1611. Cf. *La vie du P. Ant. Possevin (par Jean Dorigny)*. à Paris 1712. 12., *Mémoires de Nicéron* XXII. 201., *Gadebusch Abhandl. von Livil. Geschichtschr.* pag. 58—62., *Livil. Schriftst. Lex.* III. 458.

²⁾ Cf. *Leop. Ranke, Fürsten u. Völker von Süd-Europa im 16. u. 17. Jahrh.* T. III. (Berlin 1843. 8.) p. 79—85.

officia publica mandavit contra Pacta subjectionis, non indigenis Livonibus, sed Polonis et Lithuaniae, toti provinciae praefecit, ut suum locum teneret, Georgium Radzivilum, episcopum Vilnensem et Cardinalem S. R. E., et legum provincialium codicem, a Nobilitate Livonica propositum, rejicit ad aliud tempus, quo perlustraretur: quod tamen nunquam factum est. Praedia nobilium per revisiones titulorum possessionis identidem jussas haud raro in fiscum trahebantur et deinde Polonis et Lithuaniae donabantur, irritaeque fuere Livonum de jure suo violato quae rimoniae³⁾. Praecipue vero in rebus sacris multa nova constituebantur. Rex Sigismundus Augustus in Pactis subjectionis Livonibus sanxerat liberum exercitium religionis secundum Augustanam Confessionem, et ut erat propensus ad tolerandas varias confessiones⁴⁾, in Livonia quoque non obstitit, quin doctrina lutherana et constaret et propagaretur. Sed Stephanus rex, catholicae ecclesiae toto animo deditus⁵⁾, subjectionis Pacta nihil curavit et Livonorum ab ecclesia catholica defectionem habuit pro injuria, non solum ecclesiae, sed etiam saluti animarum illata. Igitur in eo summopere laboravit, ut pristinum religionis statum restauraret Livonesque in gremium ecclesiae catholicae reduceret, omniaque fecit, quae ad hunc finem idonea viderentur: instituit episcopatum livonicum Vendae, quem praediis et redditibus dotavit cujusque episcopo primum in conventibus publicis locum assignavit; episcopum nominavit; ad docendum populum et stabiendam doctrinam ecclesiae suae mitti jussit in Livoniam ordinis Jesu sodales eisque procuravit collegia Rigae, Vendae, Dorpati, quae sufficientibus ornarat emolumentis; nec quievit, donec in ipsa urbe Riga duo acquireret religioni catholicae templa, S. Mariae Magdalene

³⁾ Cf. *Geschichtliche Uebersicht der Grundlagen u. der Entwicklung des Provincialrechts in den Ostsee-Gouvernementen.* (St. Petersburg 1843. 3. maj.) pag. 45—55.

⁴⁾ Ranke, *Fürsten u. Völker III. 7.*

⁵⁾ Omnes in eo consentiunt historici, eum semper in catholica fide persistisse et rebus ecclesiasticis studium suum adhibuisse, quod non impedivit, quin, rebus sic suadentibus, aliis quoque confessionibus concederet, quae negare nequiret, quod iis, qui nimio studio ardebant, ad eum reprehendendum ansam dedit: documento sunt Gedanenses, quibus liberum religionis lutheranae exercitium concessit, et Rigenses, quibus etsi templum S. Jacobi extorserat, ceterarum tamen urbis ecclesiarum possessionem confirmavit. Cf. S. F. Lauterbach *Pohlnische Chronicke* (Frankfurt u. Leipzig 1727. 4.) p. 465. 476., Dogiel V. 514—517. nro. CLXXXV., Possevini Comment. Livoniae p. 22. V. quoque Ranke *Fürsten u. Völker III. 556. 557.*

et **S. Jacobi**, monasteriumque ad illud pertinens restauraret; ut agrum Dorpatensem, diurno bello vastatum et incolis orbatum, denuo hominibus impleret, ad coloniam hominum catholicorum illuc deducendam invitavit litteris suis; praefectisque terrae et urbium injunxit severissime, ut religionis catholicae propagationem tutarentur sacerdotesque juarent praecipue in docendo et convertendo ruricolarum grege. At frustra ejus molimina fuere; nam Deo providente, collapsa sunt, nondum quadraginta annis peractis, et **Gustavus Adolphus**, rex Sueciae, cum a. 1621. urbem Rigam totamque Livoniam armorum vi sui juris fecisset, lucem evangelicam iterum produxit, lutheranae religionis exercitum restauravit, Jesuitas expulit, tempa a Catholicis occupata Lutheranis reddidit, et successores ejus Lutheranismum his in terris ita firmarunt, ut Livonia et Estonia, cum a. 1710. ad magnum illud Imperium transirent, cujus sunt adhuc sintque eruntque perpetuo, terrae prorsus lutheranae essent, nec quidquam magis curarent, quam ut sibi in ditione liberum religionis exercitum secundum Augustanam Confessionem sancte promitteretur.

Illarum rerum suasores habuit rex Stephanus supremum exercituum praefectum Joannem Zamoiscium, affinitatis vinculo sibi conjunctum, lutheranae quandam doctrinae addictum, tum vero ad catholicam conversum, virum illustrem bellicis rebus feliciter gestis et cura solerti rerum publicarum, cuius consiliis rex maxime fidebat, et Antonium Possevinum theologum, qui fervido illo studio, quo ordo Jesuitarum, cui adscriptus erat, insignem se semper praestitit, promovendae rei catholicae indefessam operam dedit. Is regi attulerat e manibus P. M. Gregorii XIII. ensem et pileum benedictos, quos Vilnae a. 1580. regi tradidit; tum profectus Moscoviam, ibi de orientalis ecclesiae cum occidentali conjunctione colloquia et negotia habuit, sicut de pace inter Joannem magnum Ducem et Stephanum regem ineunda; dein perrexit in castra regis ad Plescoviam et regem permovit, ut legatos nominaret ad pacem conciliandam a. 1581. cal. Dec. Qua confecta die 15. Jan. 1582., Possevinus Moscoviam rediit multasque ibi, at irritas collocutiones cum magno Duce habuit de conciliandis ecclesiis, et inde re infecta abiit die 15. Mart. 1582.⁶⁾ Nequaquam vero via recta Romam reversus esse, sed ad regem, qui tunc inde a die 12. Mart. usque ad diem 2. Maji Rigae

⁶⁾ Karamsin, vers. germ. VIII. 288—293.

commorabatur, perrexisse ⁷⁾) atque praecipuus edictorum regiorum de religione catholica in Livonia restauranda auctor videtur fuisse. Certum est, cum consiliis suis permultum ad rem catholicam his in terris iterum stabiliendam contulisse; sed num scriptis ea consilia mandasset, non liquiebat, donec ejusmodi liber illius in lucem protractus est, etsi *Possevinnus* ipse illum citavit in suo *de rebus Moscoviticis comment.* II., ed. Coloni. p. 13^a: „Qua de tota re eodem in Commentario scripsi, quem nouissime de Provincia illa (Livonia) ad V. B. misi.“ Nam latitabat liber in seriniis Vaticani, unde primam, sed mancam admodum notitiam, omissa auctoris nomine, dedit *Bernhardus de Montfaucon* in *Bibliotheca Manuscriptorum* I. 120.: „n. 5469. Libellus de religione Christiana in Livonia“, quem ex bibliotheca *Alexandri Petavii* testatur immigrasse in Vaticanam. Qua annotatiuncula deceptus, doctus *Originum Livoniae* editor *J. D. Gruber* suspicatus est, suum *Chronicon Liuonicum* vetus eo sub nomine fortasse latere (in *praef. p. I.*). Nostris temporibus reservatum erat, ut clarius res perspiceretur et libellus ipse in lucem protraheretur. Primus accuratiorem ejus notitiam attulit Livonus, nomine *Victor Hehn*, postea per aliquot annos Lector linguae germanicae in Universitate Dorpatensi, qui cum a. 1840. et 41. Romae commoraretur, secundum *Montefalconii* notitiam librum illum manuscriptum in Bibliotheca Vaticana investigavit, sed ei permissum non fuit illum describere. Igitur quae inde excerpserat, secum attulit in patriam, ubi in Bibliotheca Academica Dorpatensi exemplar, ut videtur, satis vetustum invenit, quod eodem tempore, a. 1840., quidam *Ulricus Parrot*, Argentorati degens, dono dederat. *Hehnius* sua excerpta juris publici fecit in *Verhandlungen der gelehrten Estnischen Gesellschaft zu Dorpat* II. 2. (Dorpat 1848. 8.) p. 33—43. Post D^{nus} Comes *Alexander Przezdziecki*, qui Varsaviae habitat cujusque nomen litteris Polonorum illustrari jam coeptum est, cum a. 1846—49. iter faceret per Europam et bibliothecas et archiva extera perscrutaretur, unde historica documenta patriae suae inserventia erueret, Romae commorans, felicior *Hehnio*, illius libelli describendi veniam obtinuit ejusque exemplum secum attulit in patriam. Itineris sui fructus publicavit in libro polonica lingua edito: *Wiadomosc bibliograficzna o rekopismach zawieraja-*

⁷⁾ Ipse ait in *Comment. Livoniae* p. 21., se ex Moscovia Rigam venisse.

cych w sobie rzeczy polskie przejrzanych po niektórych bibliotekach i archiwach zagranicznych w latach 1846—1849 przez Alexandra Przedzieckiego. Warszawa 1850. 8., ibique pag. 40—41. quae continentur libro manuscripto in Vaticana sub nro 5469. servato recensuit; copiam vero allatam obtulit m. Martio a. praeteriti edendam in *Monumentis Livoniae antiquae*; quae cum edi desiissent, me suadente, exemplar suum Societati ad perscrutandas antiquitates patrias et res in *Livonia gestas Rigae constitutae*, tradidit, ut haec illud ederet. Societas veterem illam scripturam, me auctore, dignam censens, quae observantiae suae signum in festis esset, ab illustri Litterarum Universitate Dorpatensi, peractis post inaugurationem decem lustris, jam celebrandis, mihi editionis curam mandavit, et D^{ns} Comes Przedziecki exemplum suum Roma allatum mihi misit⁸⁾), quod adjunctis mihi sociis Dre Aug. Buchholtz et Cand. Car. Schirren, cum manuscripto Dorpatensi comparavi et in hanc, quae ante oculos est, formam redactum, prelo submisi. Restat, ut dicam de contentis manuscriptorum, de norma edendi, de usu hujus editionis.

In Codice Vaticano, sicut in exemplo Dorpatensi, continentur:

1. Commentarius Livoniae, Gregorio XIII. P. M. scriptus ab Antonio Possevino Soc. Jes., d. d. Bartuae in Ungaria III. Kal. Apr. 1583.
2. Ejusdem litterae ad Abbatem Trzemesensem, nominatum Episcopum Vendensem, d. d. Lovicji d. 22. Dec. 1582.
3. Regis Stephani Instructio data Georgio Radzivilio, Episcopo Vilnensi, Locumtenenti S^rae M^tis in tota Livonia, ad provinciae hujus regimen, d. d. Rigae d. 1 Maii 1582. —

Haec scripta solum extant, necdum typis mandata sunt.

4. Curatio templorum catholicorum Rigae commissa D. R. Johanni De-

⁸⁾ D^{ns} Comes nobiscum communicavit quoque ductum litterarum, quo Possevinus in scribendo nomine suo usus est, qualisque in Cod. Vat. conspicitur. Eum hic accuratissime exscribendum curavimus:

Antonius Possevinus

metrio Solicowski, Secretario Regiae M^{tis}, d. d. Rigae, 1. Maji 1582. — v. in *Ciampi Bibl. crit. I.* 262.

5. Acta in conventu Legatorum Ser^{mi} Poloniae Regis Stephani Batorij et Joannis Basilii Magni Moscoviae Ducis, praesidente Antonio Possevino de Societate Jesu, nomine Gregorii XIII. Pontificis Maximi. M. D. LXXXI. mense Decembri in Kiverova Horca ad Jamum Sapsiae in Moscovia. — v. in *Ant. Possevini Moscovia et alia opera (Coloniae) 1595. fol. pag. 82—115; Respublica Moscoviae et Urbes. Accedunt quaedam latine nunquam antehac edita. Lugduni Batav. 1630. forma min. pag. 365—518.; Adalb. de Starczewski, Historiae ruthenicae scriptores exteri saec. XVI. Vol. II. (Berolini et Petropoli 1842. 4.) pag. 45—84^o.*

⁹) Comparantes haec *extula* cum mscr. Dorp. invenimus missis levioris momenti variantibus lectionibus:

1) protocollum sessionis XVIII. in mscr. Dorp. prolixius compositum esse, quam in *A. Possevini opp. pag. 96.*, in *Rep. Mosc. p. 455.* et apud *Starzewskium p. 64.*, ubi consona verba legimus, sed in Mscr. Dorp. in hunc fere modum scripta:

Diei IX. Januarii Sessio XVIII.

Cum eam diem literis de pace relegendis atque emendandis Legati (absente Alberto Radivilio) impendissent, duo rerum capita tractata sunt. Alterum ut arcum nomina finesque de more antiquarum foederis literarum singillatim scriberentur: alterum ut Antonius eisdem literis de pace subscriberet. Utrique autem rei a Regiis petitae, constanter adversati sunt Mosci, quod ea a Magno Duce mandata non esse persaepe testabantur. Ac generatim quidem scripturos se pollicebantur, ne Lituania vel Livonia contra Moscoviam, neve haec contra illas bellum gereret. Sed urgentibus tum Regiorum tum Antonii rationibus, tandem assenserunt: nempe se scripturos, ne quid Moscus contra ullam Lituaniae arcem, Chioviam, Canevium, Reckasium aliasque finitimas: neve contra Livonicas arces quibus cesserat: Rex item ne contra alias Mosci arces hostile quidpiam ageret. Fines qui erant antiquitus, iidem utriusque Principis ditioni arcibusque essent. Ceterum de Antonii subscriptione, quam Regii identidem urgebant, Antonius ipse ad Moscos conversus, bono eos ut essent animo jussit. Neque enim justas ob causas id se facere posse, etiamsi velint. Deinde quantum satis fuit Regios allocutus, se nulla mora pacis exitum velle impedire dixit: Porro biduum ea subscriptionis res Antonio a Regiis proposita, valde illum sollicitum habuerat: sive quod nihil ea de re in mandatis haberet; sive in primis quod dum Regii Livoniae firmitati ea ratione consulebant, videret sedem ipsam Apostolicam, Caesarisque et alios forsitan, quorum in Livonia esset aliquod jus, de Antonio, ac (quod caput est) de Sede ipsa Apostolica conqueri posse, quod nimio ausu jus suum aliis quasi adjudicasset. Ac tamen Regi fore, ut non ita multo post pro aequitate a Pontifice Max: satisficeret, sperabat, si res ad ejus Sanctitatem referretur. Quae ratio tunc Regiis probata

6. **Constitutiones Livonicae post submotum ex Livonia Moscum a Ser^{mo} Stephano Poloniae Rege sancitae, d. d. Varsaviae IV, Dec. 1582.** — v. apud **Dogielem** V. 320—324. nro **CLXXXVII.**

7. **Civitatis Rigensis in ditionem Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae sub quibusdam conditionibus collatio et receptio, d. d. Drohici 14. Jan. 1581.** — v. ap. **Dog.** V. 308—313. nro **CLXXXIV.**

8. **Patentes (Regis Stephani) pro deducenda colonia in Livoniam, d. d. Niepolomieciis 29. Jan. 1583.** — v. ap. **Dog.** V. 307—308. nro. **CLXXXIII.**, ubi tamen locus et dies harum litterarum ita exprimuntur: **Połomiciis 29. Jan. 1582.**

Ex hisce Cod. Vaticanini argumentis D^{nus} Comes **Przezdziecki** tria priora Romae exscripta attulerat, nunquam antehac edita, et ea nobiscum

est. Interea vero si Moscis ea de re acriter litigantibus longius fieret conficienda pacis tempus (uti singulis momentis, exercitu Regis Plescoviam obsidente, fieri poterat), nec tamen ad Ecclesiae dignitatem aliquid accedere, ac multum periculi posse creari intelligebat, cum quidquid ex ea mora alterutri Principi interficisset, id in Pontificem Max: facile (ut fieri solet) conjici potuisse. Itaque Mosci ubi dixere eorum Principem non esse sub lege, sed supra legem, eis verbis designantes nelle Ecclesiae subjici, meliora quaedam addiderunt: sese ajentes, si ea de re Moscus in tempore praemonitus fuisse, illius mandatum in rem sedulo locaturos fuisse. Ceterum quae in literis ipsis de pace, de Summo Pontifice, deque Antonio attigerant, quae item pluribus Magni Ducis ad Antonium literis, ac Plenipotentia sibi scripta fuerant, satis argumento esse, quid a Pontifice Max: toto eo in negocio pacis in Principis sui gratiam factum fuisse. Reliqua redeunte in Moscoviam Antonio tractari posse liquidius. Sic sessioni eidem fine imposita, sequens dies de scribendis de pace literis fuit decretus.

2) „Conditiones pacis a Magno Moscoviae Duce petitas a Ser^{mo} Poloniae Rege Stephano concessas, et per Ser^{mi} Domini nostri Legatum transactas in Zapolsciae Jamo, A. D. 1582. die 15. Januarii“, quas **Adalb. Starczewski** sua^e editioni p. 65., e **Jo. Lasicii de Russ. Moscov. et Tart. ritib. libro pag. 276—278.** repetitas, inseruit, deesse ut in **A. Possevini opp. et Rep. Mose.**, ita etiam in Mscr. Dorp.

3) „Litteras compositionis pacis Legatorum Magni Moscoviae Duci et Legatorum Ser^{mi} Poloniae Regis“, quae sunt in **Possevini opp. pag. 99—107.**, in **Rep. Mose. pag. 466—518.** et apud **Ad. Starczewskium pag. 67—76.**, desiderari in Mscr. Dorp., ut etiam

4) litteras ab Ant. Possevino ad Reginam Annam, Regem Stephanum, Jo. Zamocium, M. D. Joannem Basilii, et a Magno Moscoviae Duce ad Pontificem Max: et vice versa, et a Regina Anna ad Possevinum datas, quae extant in **opp. Possevini p. 107—115.**, sed in **Rep. Mose.** non inveniuntur, et quas **Ad. Starczewski** sua^e editioni pag. 76—84. adjectit.

communicavit; nos ex apographo Dorpatensi, pace Directorii Academicii, quartum addidimus, quamvis docente D^{no} *Przezdziecki* in *Wiadomosc etc.* l. c. jam exstet in *Ciampi Bibl. crit.*: quisham enim nostratum hanc novit bibliographiam et ea uti potest? Cum ipse illam haud viderim, nil amplius mihi dicendum. (*Ciampi* nomen neque in *Jöcheri*, neque in *Eberti* lexicis est.)

In pedenda vero scriptura vetere hanc secutus sum normam, ut copiam Cod. Vatic. accurate perlustrarem, vitia scribendi et σφαλματα quae dicuntur delerem, interpunctionis signa et orthographiam emendarem, ne una eademque vox aliis locis aliter scripta extaret; porro ut illud exemplar cum Dorpatensi compararem et variantes lectiones mscr. Dorp. textui subscriberem, qua in re mihi, etsi perraro, locus quoque datus erat conjecturas proponendi. Annotationes quasdam textui addere, necessarium et mihi videbatur et ipse D^{ns} Comes *Przezdziecki*, cum mihi apographum textus mitteret, adjecerat nonnullas; has textui subjunxi et litt. **P.** insignivi, ne mihi arrogare viderer, quae alterius essent. Sed multo plura in annotationibus addenda censui, ut hae essent tanquam commentarius perpetuus illius Commentarii, in quo elaborando auctor haud contemnendam historiarum nostra regionis notitiam ostendit, ita ut quasi succinctam historiam Livoniae scripserit. Cum autem plura nunc in historia nostra diligentius explorata altiusque indagata sunt, non defuit occasio, aut confirmandi nostri auctoris verba aut restringendi aut refutandi: qua in re pro viribus nostris desudavimus.

Num operae pretium sit, *Possevini Commentarium* hoc nostro tempore edere? forsitan aliquis interroget, sed qui historicarum rerum naturam bene norunt, eos nobis non iraturos speramus, quod hujusmodi documentum vetus in lucem protulerimus. Nam ut jam diximus, auctor historia nostra usus est, ut Pontifici Maximo, cui de rebus livonicis, jam ecclesiae catholicae abstractis, et sua industria iterum ad illam convertendis, exponere voluit, consilia sua melius commendaret; et sui ipsius temporis res gestas et adhuc gerendas tam clare nobis ante oculos posuit, ut inde, qui versantur in scribendis historiis, multa desumere possint ad illius temporis res clarioris describendas. Igitur qui testimoniis aequalium historiam fulcire nituntur, non inutilem fortasse judicabunt ope-

ram, quam in edendo hoc *Commentario* collocavimus. *Litterae Possevini ad episcopum designatum Vendensem* argumenti quidem sunt majorem partem theologici; at *regiae illae litterae ad G. Radzivilium et J. D. Soltovium* historicis documentis jure annumeranda sunt.

Lectori benevolo hoc nostrum, qualecumque est, opusculum commendatum volumus totoque pectore optamus, ut Illustris Academia, cui fausta quaevis in omne tempus imprecantes, illud dedicamus, tanquam sincerae observantiae gratique animi signum benigne id accipiat.

Scribebam Rigae, ipso die Martini Lutheri a. MDCCCLII.

Dr. C. E. Napier sky.

in te pro virtus nostra remedium.

Hoc opere prelium sit. Passim Commentarium hoc nostra tempore edere possit alius interpretatur, sed diu historiam letum nostrum posse nunc non habuisse probandum non possumus; nam in hac divisione documentum vetus in recente posteriori. Nam in hac divisione, sicut posterioris vetus nunc est, in Pontifici Missione, cui de tempore Iovinice, Iam ecclesiis captivis apostolicis, et sua industria locutum ad illum conser- tenuis, exponere voluit, consilii eis melius comprehendit; et sui ipsius tempore esse vetus est aplice Gerendae tam civile sive sive ecclesiasticae, ut videlicet in scripturis posterioribus, multa demum beatus ut inde diu servatum in scripturis posterioribus, multa demum beatus ut illius temporis esse civile sive ecclesiasticae. Igmar di testimoniis sedatissimum posteriorum locutio futurum non intulit postesse indicabunt ob-

LIVONIAE COMMENTARIUS,

S^{MO} D^{NO} N^{RO} D^{NO} GREGORIO XIII^o PONT^{CI} MAX^o

scriptus

ab

ANTONIO POSSEVINO,

DE SOCIETATE JESU.

Ortus et progressus religionis Christianae in Livonia.

Livonia inter eas gentes, quae Sarmatiae Europeae attribuuntur, qua ad Septentrio-nes vergit; Venedico sinu seu mari Balthico alluitur; a Russia vero illa, quae ad Moscum Principem attinet, Narva fluvio et ab ea, quae Poloniae Regi subiecta est, atque alba dicitur, propriis finibus ad solis ortum atque meridiem dirimitur, ad occasum Samogitiam habens, et Semigalliam, quae item Curlandia id est Curonum terra dicitur; quamvis haec ad ipsam Livoniam spectet. Jam vero unde Livones dicti sint, eo magis incertum, quod qui eos a Romanis descendisse asserunt, cum veteribus scriptoribus **Plinio** et **Strabone** haud consentiunt; quorum hic Romanos Albim transcendisse negat¹⁾; ille ad Prutenos usque pervenisse, Prussiam autem magis tentasse quam devicisse commemorat²⁾. At ii, qui vel superiore, vel hoc seculo res Polonorum scripsere, **Duglossus** (sic)³⁾, et

¹⁾ Auctor noster ad locum **Strabonis** in **Geograph.** l. **VII.** cap. 2. spectasse videtur, ubi legimus: Τὰ δέ πέραν τοῦ Ἀλβιος, τὰ πρὸς τῷ Ωκεανῷ, παντάπασιν ἄγρωστα γῆν ἔστιν. - - - ὅνθ' οἱ Ρωμαῖοι προηλλέθον πῶς εἰς τὰ περατέων τοῦ Ἀλβιος ὡς δ' αἴτως ὄνδε πεζοὶ παρωδείκασιν ὄνδενες.

²⁾ Frustra in **Plinii hist. natur.** locum quaequivimus, quem sub oculis habuisse autor videri possit; sed, praeeunte **Cromero**, eum citat ex autoritate **Erasmi Stellae**, v. not. 6.; at **Duglossus de Plinio** nil habet.

³⁾ Johannes Dlugossus, lat. Longinus, Canonicus Cracoviensis, natus Brzeznicae 1415, ab episcopo Cracoviensi, Zbigneo de Olesnica, Romam missus 1449, terram sanctam adiit 1450, post varia fata a Rege Poloniae nominatus est episcopus Leopoliensis, sed ante consecrationem vita defunctus a. 1480. 10. Maii. Ex ejus scriptis hic memorandi: **Historiae polonicae libri XII.** (ad. a. usque 1444) ed. ab **Henrico L. B. ab Huyssen.** Lipsiae 1711. fol., quibus accessit **Tomo II. liber XIII.** et ultimus (ad a. usque 1480), cum quibusdam libris rarissimis Radlubkonis, Sarnicci etc. **Ibid.** 1712. fol.

Chromerus⁴⁾, alia scribunt, atque conjiciunt. Is civili bello, quod inter Cesarem et Pompejum gestum est, Romanos non ita multos, Italia reicta, iis in oris, quae ad Venedicum sinum pertinent, consedisse, condidisse autem Urbem, quam Romove de nomine Romae vocatam suae gentis metropolim incoluerint⁵⁾. **Chromerus** vero inquit (siquis suspicioni locus in historia dandus est), Romanorum manum Duce Libone aliquo ad ea littora Venedici sinus, quae ad exorientem solem spectant, et Russis finitima sunt, vel vi tempestatum appulsam esse; vel certo cursu Caesarum tyrannorum saevitiam fugientem secessisse, et Livonum appellationem a Libone accepisse⁶⁾; eique rei argumento esse posse flumen Libam, et ejusdem nominis oppidum, ostio ejus in mare Balthicum decurrentis impositum. Ceterum quatuor populorum, quos ea Provincia continet, quatuor idiomata diversa sunt Curonum, Livonum, Lettorum, Estonum. Hi omnes quamdiu vitae communionem inter sese, atque commercium cum externis non habuere, tamdiu in unum sermonem haud^{a)} coaluerunt. Itaque etiam hoc tempore varietas illa retinetur, nisi quod plerique ob germanorum frequentiam, qui Honorio Pont^e Maximo hortante in eam oram atque Provinciam convenere, linguam eam norunt, atque usurparunt. Ac primo quidem Mercatoribus Germanis, qui eo quaestus caussa commigrabant, cum sese pii Sacerdotes aggregassent, ut barbarem gentem excoherent, Meinardus quoque, Segebergensis monachus, studio propagandae pietatis incensus, in Livoniam venit anno a Christo nato millesimo supra Ducentesimum⁷⁾, qui etiam primus^{b)} fuit ejus Provinciae

^{a)} non. ^{b)} add. deinde.

⁴⁾ Debet scribi Cromerus. Martinus Kromer, [nat. 1512], episcopus Varmiensis [1579], praeclarus historiarum Poloniae scriptor † 1589 [23. Mart.]. **P.** — Scripsit: *Polonia sive de situ, populis, moribus, magistratibus et republica regni Polonici libri II.* pluries ed., etiam in *Joh. Pistorii scriptoribus rer. Polon. Tom. I. p. 74—121.*; *Chronicon de origine et rebus gestis Polonorum* (usque ad a. 1506). *Coloniae, 1578.* — *Ibid., 1589, 4.*, — in *Pistorii Script. rer. Pol. Tom. II. p. 402—353.*

⁵⁾ v. *Joh. Dlugossi seu Longini hist. Pol. l. II. pag. 119*

⁶⁾ v. *Mart. Cromeri de origine et rebus gestis Polonorum l. III.*, ap *Pistor. II. 445.*: „Quando autem et quoniammodo Latina lingua cum uernacula Prussorum, Lithuaniae, Liuonumque sese miscuerit dicere non habemus. **Erasmus** quidem *Stella* Prussiam Romanis armis tentatam magis, quam deuictam esse, memorat, *Plinii* queauthorem citat: quo fit, ut cum imperio Latina lingua eo peruenire non potuerit. **Dlugossus** uero scribit, ciuili bello, quod inter Caesarem et Pompeium gestum est, manum quandam Romanorum deserta Italia, in iis oris consedisse, urbemque condidisse, et Romoue de Romae nomine dixisse, eamque diu metropolim gentis fuisse. Quodsi uera est **Dlugossi** sententia, suspicari quis posset (si quis tamen locus est suspicionis in Historia) eam Romanorum manum, duce Libone aliquo, ad ea littora Venedici sinus, quae ad exorientem Solem spectant, et Russis finitima sunt, uel vi tempestatum appulsam esse: uel certo cursu Caesarum tyrannorum saevitiam fugientem secessisse, et Liuonum sive Liuoniorum appellationem a Libone accepisse.“

⁷⁾ Germani inde ab a. 1158. (cf. *Gruberi Orig. Liv. pag. 177.*, E. *Pabst* in *Bungii Archiv f. die Gesch. Liv., Ehst. u. Kurl. IV. 58.*, *Voigtii hist. Pruss. I. 582.*) seu 1159 (cf. *Hansen* in *Script. rer. Livon. I. 500. not. 3.*) in Liuoniam navibus venire coepérunt mercaturaee causa. Mercatoribus vero, Liuoniam adeuntibus, assciavat sese religionis propagandae causa monachus Segebergensis, Meinardus, „vir vitæ venerabilis et venerandae canitie“ (*Orig. Liv. p. 2.*), vel a. 1173, vel ut hodie plerunque censetur, a. 1186. (cf. *Script. rer. Livon. I. 868.*, E. *Pabst* *Meinhart, Livlands Apostel I. II. Reval 1847. 1849. 8.*) Episcopus Liuoniensis factus, non ut habeat *Alt. Krantz* in *Saxonia* (*Francof. 1621. fol.*) l. VII. c. 15. pag. 181—185, iam a. 1186, sed secundum inscriptionem tumulo ejus incisam a. 1192. (cf. *Script. rer. Liv. I. 869.*), fatis suis functus

Episcopus. Urgebat rem Honorius Pontifex Maximus^{c)}, Hierosolymis a Saladino ex Christianorum manu ereptis, ut ab Aquilone panderetur aliquid boni, amplissimis a Deo praemiis, ac peccatorum condonationibus pro Christi Domini, qua fungebatur, auctoritate propositis, optimum quemque ac nobilissimum Saxonem excivit^{d)}, qui ad Catholicam fidem inter Barbaros juvandam corpora mari et bello truci libenter exponerent. Cum vero, qui Meinardo successit, Bertholdus Abbas Cisterciensis in praelio adversus barbaros occubuisse^{e)}; tertius Livoniae evectus^{f)} Episcopus est Albertus^{g)}, vir sanctus, qui postea primus Rigensis Archiepiscopus^{h)} a Ponte Maxⁱ⁾ et Imperii Princeps ab Henrico Caesare declaratus est^{j)}. Quo antistite Christiana res magnopere augeri caepta, Rigaque ipsa muro cincta^{k)} et sacra aedes primo extorta est^{l)}. Ac Saxon-

^{c)} add. et ^{d)} creatus.

est a. 1196. IV. idus Oct., ut est in ejus tumulo, vel XIX. Kal. Sept., ut habent *Fasti sacri Colonienses in Gelenii de magnitud.* *Colon.* pag. 715. Cf. *Mitth. aus d. livl. Gesch.* V. 425—428., *Script. I.* 870. Errat igitur autor noster in anno, quo Meinardus in Livoniam venisse autumat.

^{e)} Jam ante Honorium P. P. rebus Livonicis curam adhibuerunt pontifices romani: non solum Clemens III. (1187—1191) et Coelestinus III. (1191—1198), de instaurandis in Livonia sacris christianis, v. *Bungii Livl. Urk. Buch I.* 10—15. nro. IX. XI. et Reg. p. 3. nro. 9. 10. 12., sed etiam de christiana fide in illis terris longinquis armis propaganda iam Innocentius III. (1198—1216.), v. *Bungii Livl. UB. I.* 15—20. 22—24. 32. 34—45. nro. XII—XIV. XVI. XVII. XXIV. XXVI—XXXVII. et Reg. pag. 4—6. 9—11. nro. 14. 13. 19. 21. 22. 29. 31—44. Praecipue vero Honorius III. (1216—1227) de Livonum ecclesia et republica curam solerter gessit, exciens quoque, ut autor noster ait, optimum quemque ac nobilissimum Saxonem, ad juvandam fidem armata manu, v. *Livl. UB. I.* 36. sq. inde a nro. XXXIX. et Reg. inde a pag. 11. et nro. 46. sq. Sed Honorii bullae jam cadunt in tempora Alberti episcopi, nec possunt referri ad tempora Meinardi ac Bartholdi episcoporum, ut fit ab auctore nostro.

^{f)} Bartholdus, Abbas Luccensis, iam a. 1197. nomen episcopi Livonum tulit (*Gruberi Orig. Liv.* p. 204.), et eodem anno in Livoniam venit, sed a Livonibus inimice exceptus, in Germaniam discessit et anno sequente, armorum manu e Saxonia, Westphalia et Frisia stipatus, redit et fortunam tentavit pugna, in qua quidem Germani victores discessere, ipse autem diem supremum obiit IX. Cal. Aug. (*Orig. Liv.* pag. 12—15., *Alnpeke v. 489—502. 529—573.*)

^{g)} Albertus de Appeldern, e gente Buxhövediana, a. 1198 episcopus Livoniensis consecratus (*Orig. Liv.* p. 15., *Hansen* in *Script. rer. Livon.* I. 35.), fundavit rempublicam Livonicam et sedem suam episcopalem a. 1201 s. 1202. Rigam transtulit, unde episcopus Rigensis dictus, eod. a. 1202. ordinem militiae Christi seu Gladiferorum constituit (*Orig. Liv.* p. 22.), et munere suo sapienter et viriliter perfunctus, obiit a. 1229. XVI. Kal. Febr.

^{h)} Archiepiscopalem dignitatem non adeptus est hic Albertus I., sed Albertus II. (Suerbe), qui a. 1246. 9. Jan. in dignitatem Archiepiscopi Prussiae, Livoniae, Estoniae et legati pontifici in regionibus septentrionalibus elatus, a. 1253. ad episcopatum Rigensem, mortuo episcopo Nicolao, qui Alberto successerat, promotus, a. 1255. 20. Jan. ab Alexandro IV. P. M. Archiepiscopus Rigensis creatus est sedesque ejus metropolitana declarata. Cf. *Script. rer. Livon.* I. 408., K. v. *Schlözer Dic Hansa u. der deutsche Ritter-Orden in den Ostseeländern* (Berl. 1831. 8.) p. 49—72. 163—175.

ⁱ⁾ Diploma originale huius declarationis, d. d. Norimbergae Cal. Dec. Ind. XIII. (1224), adhuc extat Petropoli, v. *Mittheil. aus d. livl. Gesch.* III. 517 sq., *Bungii Livl. UR. I.* 71. nro. LXVII. et Reg. pag. 17. nro. 77.

^{j)} Cf. *Orig. Liv.* p. 20. ad a. 1201. (secundum *Hansenii* computationem); sed iam tempore episcopi Bartholdi in loco Riga sen ad lacum Rigam urbs condita coepita esse videtur. Cf. *Chron. ord. Jequestr. teuton. c.* CXXXV., *Alnpeke v. 525—528. Script. rer. Livon.* I. 752. 870., *Monum. Liv. ant. Tom. IV.* p. XIX.

^{k)} Auctor videtur significare templum Sanctae Mariae s. ecclesiam cathedralem, quae iam in ipso primordio urbis, a. — ut videtur — 1201, extorta erat lignea, a. 1214 igne vastata, alio in loco, iam a. 1211. ab episcopo Alberto designato (*Script. rer. Livon.* I. 410. nro. LXII., *Bungii Livl. UB. I.* 29. nro. XXI. et Reg. p. 7. nro. 26.).

niae Dux Albertus¹⁵⁾, et Rugiae Comites Venceslaus¹⁶⁾, et Barvinus¹⁷⁾ eo vener. Interea Valdemarus secundus ejus nominis Rex Daniae (ut Septentrionis principes tum erant unius labii ac propterea internis haeresum dissidiis haud distenti, victricia signa quoquoversum inferebant) Estoniam classe adducta expugnavit, ut cum Revoliam aedificari jussisset¹⁸⁾, populum ejus orae sacro baptimate expiari et ab Sacerdotibus Catholicis doceri curavit. Pontifex autem Maximus cum Episcopum ei genti praefecisset¹⁹⁾, ut Lundensi quoque Archiepiscopo Daniae subderetur, in gratiam bene de Ecclesia meriti Regis concessit²⁰⁾. Sed cum Vilelmus²¹⁾, Episcopus Mutinensis, idemque tituli Sanctae Sabinae Cardinalis, in Livoniam advenisset a Gregorio Nono Pont^e Max^o Legatus²¹⁾, Saxonie Duce Alberto ad plenioram victoriam animato, Osilia maris Balthici Insula Christo nomen dedit²²⁾. Sic fide Christiana jam latius patente, Derpa-

e) Vilelmus.

denuo aedificata ex lapidibus et fortasse eadem est, quae adhuc restat. Cf. *Orig. Liv. p. 96.*, *Script. rer. Liv. I. 410.*, *Bungii Livl. UB. l. c.*, *Monum. Liv. aut. T IV. p. XLII.*

¹⁵⁾ Hic dux, quem *Henricus Lettus* ducem Saxoniae de Anhalt ob ejus originem e domo Anhaltina nuncupat, in Livoniam venit vere a. 1219, fortem se praebuit in expeditionibus contra Esthones et Osilienses et in pugnis ad Ymeram et apud Carethen s. Karidal, et domum reversus est vere anni sequentis. Cf. *Orig. Liv. pag. 127. 159.*, *Alnpeke v. 914—1222.* et *Kallmeyeri* annotatt. ad eum in *Script. rer. Livon. I. 736.*

¹⁶⁾ Wenceslaus, Slavorum princeps, in Esthoniam venit cum Waldemaro, rege Daniae, a. 1219. et in proelio cum Esthonicibus (15 Jun.) Danorum cedentium restituit rem. Cf. *Orig. Liv. p. 129. 130.* Secundum *Schwartzium de finibus principatus Rugiae p. 99.* hic fuit Witzlaus I., Rugiae princeps (cf. *Micraelii Chron. Pomeran. l. III. c. 8.*, *Dahlmann Gesch. von Dänem. I. 370.*, *Barthold Gesch. von Rügen u. Pommern II. 380. 366. 397.*). Res Rugiae moderavit inde ab a. 1218. usque ad a. 1249. Plura de eo vide in *C. G. Fabricii Urk. z. Gesch. des Fürst. Rügen T. II. (Stralsund 1843. 4).*, *Rugianische Zustände pag. 4—12.*, sed nil de eo invenis apud *Alnpekium.*

¹⁷⁾ Hic apud *Henr. Lettum* nomen fert „Henrici Burewini, nobilis viri de Wendlande“; venit cum decano Halberstadensi 1218. in Livoniam, „annum prægrationis suæ completuero ibidem“ (*Orig. Liv. p. 125.*, *Aln. v. 1416—1422.*) et fuit sine dubio principis Megalopolitani Henrici Burewini († 1228) filius ejusdem nominis († 1226); sed a *Russorio* et aliis historicis Livonicis hunc sequentibus convertitur in Barnium, principem Pomeraniae. Cf. *Kallmeyeri* annot. ad Aln. in *Script. rer. Livon. I. 739.*

¹⁸⁾ De Waldemaro II., Daniae rege, ejusque in Estonia rebus gestis v. *Orig. Liv.* locis plurimis (v. Indicem ad *Orig. Liv.* in *Script. rer. Liv. I. 481.*), *Alnpeke v. 2027—2064.*, et posteriores historicos livonicos; *Dahlmann Gesch. v. Dämmemark I. 367—575.*

¹⁹⁾ Post caesum in proelio cum Esthonicibus ad Revaliam a. 1219. commisso episcopum Theodoricum, qui Rigae consecratus (*Orig. Liv. p. 78. 358.* nro. XIII.), tum regem Esthoniam invadentem sectabatur (*ibid. p. 128.*), rex Waldemarus in ejus locum capellanum suum Wesselinum substituit, seu potius, ut dicit *Henr. Lettus*, Rex et Episcopi in castris regis manentes (*ibid. p. 130.*)

²⁰⁾ Frustra quaesivimus bullam papalem, qua Episcopatus Esthoniensis, post Revaliensis nuncupatus, metropoli Lundensi subjectus sit, nec invenimus nisi epistolam P. P. Gregorii IX. de a. 1236. 22. Mart., quae ea de re confirmat ius Archiep. Lundensis, in *Turgenevi hist. Russiae mon. I. 45.* nro. XLVI. et inde in *Bungii Livl. UB. I. 187.* nro. CXLVI.

²¹⁾ Willelmus, episcopus Mutinensis, post Sabinensis et S. R. E. Cardinalis, bis legati pontificii munere in his terris functus est, a. 1224 et 1234 sqq. (cf. *Orig. Liv. pag. 394. 399.* nro. XLIII. L.). Solerti et præclara industria in rebus ecclesiasticis et civilibus ordinandis in Livonia, Estonia et Curonia elaboravit plurimaque sunt documenta hujus laboris in litteris publicis.

²²⁾ Cf. *Orig. Liv. p. 179—182.*

tensis²³⁾ et Osiliensis²⁴⁾ Episcopatus jam tum instituti, Archiepiscopo Rigensi attributi fuere, qui ut barbariem circumquaque evelleret: ordinem sive sodalitatem, quae militia^{f)} Christi dicta est, instituit²⁵⁾, addito crucis insigni, unde et crucigeri²⁶⁾ vocati, quibus tertiam redditum partem Rigensis Episcopatus addixit. Is Christianae religionis ortus et progressus fuit^{g)})²⁷⁾.

^{f)} militiae. ^{g)} in marg. mscr. Dorp.; Chrom. lib. 7 de reb. Polon.

²³⁾ Hermannus, frater episcopi Alberti, Abbas Sti Pauli apud Bremam, a. 1219. a fratre suo in locum caesi a paginis episcopi Estoniensis Theodori constitutus, ab electa sede sua nomen Lealensis episcopi assumxit, confirmatus a Pontifice maximo, postea pro sua parte Unganniam accepit et Dorpati ecclesiam cathedralem fundavit a. 1224. eodemque investitus ab imperio, abdicavit, lumine oculorum orbatus, a. 1245 (cf. *Orig. Liv. p. 141. 164. 170.*, *Bungii Livl. UB. I. 64. 69. 72* nro. *LXI. LXIV. LXVIII.* et Reg. pag. *15. 16. 17.* nro. *70. 74. 79.*, *Gadebusch livl. Jahrb. I. 1.* pag. 242.)

²⁴⁾ Cum Hermannus, hucusque Lealensis episcopus, relicta sua sede Lealensi, a paganis diruta, Dorpatum transmigrasset, novus episcopus in partibus maritimis est constitutus Godefridus, Prior de Porta caeli, Cisterciensis ordinis monasterio prope Numburgum ad Salam Thuringicam, a. 1224. et postea ejus dioecesis Osiliensis nominata, † 1228. Cf. *Orig. Liv. p. 142. not. x. p. 173 not. c.*, *Gadebusch livl. Jahrb. I. 1.* pag. 209., *Bungii Livl. UB. I. 183.* nro. *CXLV.* et Reg. p. 40. nro. 162. ad a. 1256.

²⁵⁾ Ordo fratrum militiae Christi ab Alberto episcopo Livoniensi, annuente P. P. Innocentio III., ope Theodori, tunc temporis Abbatis Dunamundensis, a. 1202. institutus est (*Orig. Liv. pag. 22.*, *Chron. Ord. theut. c. CXXXVI.*, *Alnp. v. 693 sq.*, *Script. rer. Liv. p. 752. 870.*). Jam ab a. 1207. cum Alberto episcopo cavillari coepit de terris possidendi, quarum tertia pars ei concessa est a. 1210. (*Orig. Liv. p. 48.*, *Script. rer. Livon. I. 585.* in not., *Bungii Livl. UB. I. 22—23. 30. 32. 45. 60—69. 75.* nro. *XVI—XVIII. XXIII. XXV. XXXVIII. LXII. LXIII. LXX.* et Reg. pag. *6. 8. 9. 11. 16. 17.* nro. *21—25. 28. 50. 45. 71—75. 80.*) Post strenuos labores et mortem magistri ejus Volkwini in proelio Lithuanis a. 1236. die 22. Sept. commissio conjunctus est cum equestri ordine theutonicu seu de domo theutonica Stae Mariae Jerosolimitanae, qui terra sancta relicta in Europam transmigraverat et in Prussiam vocatus a Conrado Duce Masoviae (*Voigt Cod. dipl. Pruss. T. I. in reg. pag. V.*, et ej. *Gesch. Preuss. II. 158. sq.*), novam ibidem christiana religionis plantationem fundaverat. Haec conjunctio facta est, labore et rogatu Volkwini et ejus fratrum, connivente magistro ord. theut. Hermanno a Salza, per P. M. Gregorium IX. a. 1237. m. Martio seu Aprili. V. *Alnp. v. 1847. sq. 2010. sq.*, *Chron. ord. equestr. theut. cap. CLII.*, *Script. rer. Livon. I. 875. sq.*, *Voigti Gesch. Preuss. III. 522. sq.*, *Bungii Livl. UB. I. 191—194.* nro. *CXLIX. CL.* et Reg. p. 42. 43. nro. *168. 169.*

²⁶⁾ Nunquam fratres militiae Christi crucigeri vocati sunt, sed hoc nomen solemne erat fratribus ord. theut., et illi ob signum eis concessum semel tantum ab *Henrico Letto* nominantur Gladiferi (*Orig. Liv. p. 156.*) Nomen Ensiferorum, quod illis attribuit *H. L. Schurzfleischius* in futili suo opere: *Historia Ensiferorum Ordinis Theutonici Livonorum. Vitembergae 1701.* 8., plane inusitatum est apud veteres auctores et in diplomatis vestustis. Per magna est usque ad hunc diem confusio horum duorum ordinum, inter se plane diversorum. — Caeterum quae erat fratribus mil. Chr. cum ordine ecclesiastico, invidia et inimicitia (cf. *Alnp. v. 1258. 6632. sq.*) tanquam haereditate transiit ad ordinem theuton.: unde graves illae dissensiones et certamina inter Archiepiscopos atque Episcopos et Ord. theut. orta sunt, quae folia annualium Livoniensium implent (cf. *B. Bergmann Livlands Orden u. Obergeristlichkeit im Kampfe*, in ej. *Magazin f. Russlands Gesch. etc. Mitau 1825. 26. 8.*)

²⁷⁾ Ad haec verba in Mscr. Dorp. ad marginem citatur *Cromer. lib. 7. de reb. Polon.*, quod indicat, unde *Possessorum Poloniae l. VII.* (apud *Pistor. II. 525.*) legitur: „Apud Liuones nero, cum Meinardus episcopus, et post eum Albertus, Christianam religionem paulo ante propagare coepissent: Albertus alter, quo facilius barbariem inde extirparet, ordinem siue societatem, quae militiae Christi dicta est, instituit, ac tertiam partem redditum Rigensis episcopae ipsi attribuit.“

Rerum Livonicarum inclinatio.

At vero procedente tempore, cum idem ordo²⁸⁾, qui Teutonicorum quoque vocabatur, res suas optimo in statu constituisse videretur: et eorum Magister, qui Princeps erat ordinis, Vendam, quae civitas in medio Livoniae sita est, sedem sibi ac suis delegisset, non solum Archiepiscopo, ceterisque Episcopis non cedere, verum ne eos quidem pares agnoscere volebat. Inde in bona, munitionesque illorum invadere^{h)}²⁹⁾, Fridericum Derpatensem Antistitem propria e civitate ejicere³⁰⁾, Archiepiscopum Joannem Patronum in vincula conjicere³¹⁾: nec ita multo post ipsam etiam Urbem Rigam, Rigensemque agrum Archiepiscopo, a quo centum et quatuor ante annos eque-

^{h)} in marg. Cod. Vat.: An. 1300.

²⁸⁾ Non idem ordo fratrum militiae Christi s. Gladiforum (Schwertträger, Schwerbrüder), sed is ordo, qui Theutonicorum quoque vocabatur (der Deutsche Orden, die Marianer, die Kreuzherren) et in quem a. 1237. ille ordo militiae Christi, debilitatus nec ipse amplius sustentationi suae par, transierat et transformatus erat a Pontifice maximo, inde ab illo tempore res Livonicas ordinare coepit et auctoritate sua Archiepiscopis adversari conatus est.

²⁹⁾ Adscriptus in margine Cod. Vat. annus 1300. indicare videtur, auctorem nostrum ortum litium inter Ordinem et Archiepiscopos in hoc anno ponendum esse censere. Sed has lites iam antea exortas esse necesse est. nam a. 1266. 3. Febr. Capitulum Rigense et Ordo Livonicus amicitiae foedus inire, quod sine dubio subortarum inter eos dissensionum finis erat (v. *Index nro. 714. 2., Voigtii Gesch. Preuss. III. 303.*) et a. 1268. m. Dec. inter se cōvenere, ne querelas suas ad curiam romanam deferrent (v. *Index nro. 204., Dogiel V. 21. nro. XXX., Mittheil. aus d. livl. Gesch. IV. 406., Monum. Liv. ant. T. IV. p. CLXII. nro. 41.*). Nihilominus iam a. 1269., ut videtur, equites Archiepiscopum Albertum in ipsa ejus capella armata manu invadere ausi sunt eumque simul cum praeposito Rigensis capituli, Joanne de Vechten, cuperunt (*Voigt. t. c., Dogiel V. 26.*) sed plura de hae re non invenimus. Acrius animi litigantium exarsere inde ab a. 1292., cum et civitatis Rigensis cum ordine intercessisset certamen (v. *Voigt. IV. 121. sqq., Monum. IV. p. XXVII. sq.*).

³⁰⁾ In serie episcoporum Dorpatensium alius Fridericus non occurrit, nisi Fridericus de Haseldorf (1268—1280. cf. *Index II. 538.*) sed nusquam legimus, inter eum et ordinem certamen fuisse, nec ei ejusmodi injuriam illatam esse ab ordine. Fortasse auctor noster indicare voluit Archiepiscopum Rigensem Fridericum (1304—1340), qui a. 1305 querelas suas de ordinis injuriis ad Pontificem maximum detulit (*Index nro. 266.*), a. 1325. banum contra magistrum et ejus ordinem in cathedrali rigensi publicari jussit (*Voigtii cod. dipl. Pruss. II. 144. nro. CXI., Index nro. 510., Kotzebuei Preuss. ält. Gesch. II. 368—376.*), et inde ab a. 1307. plerumque in curia papali tum Lugduni existente degebat, ut fortius item gereret contra ordinem. Cf. *Voigtii Gesch. Preuss. IV. 254—244. 268—272. 504—509. 528—530. 564—578. 587—400., Mon. Liv. ant. T. IV. p. XXXII. sqq.* — Archiepiscopum Fridericum scensus est in Rigeni archiepiscopatu Engelbertus de Dahlen, qui antea (1325—1340) sedem episcopalem Dorpatensem occuparat et quem legimus a. 1336. in Suecia fuisse „de rebus inibi ordinaturum“, ut dicit *Alb. Krantz* in *Chronicis regnum aquilonarium. Daniac. Suetiae, Norvagiae, (Argentorati M. D. XLVI. fol.) pag. 565. Suetiae lib. V. cap. XXVIII.*, cf. *Arndt II. 94. not. h.* De eodem narrat *Detmarus Lubicensis* in *Grautoff's Lüb. Chroniken I. 240.*, sed eum nominat Ghiselbertum et dicit, eum in Sueciam venisse „umme werf sines stichtes“ i. e. ut recuperaret episcopatum suum. Num hic quoque rem habuit cum ordine? Apud alias scriptores nihil de eo rebusque ejus invenimus.

³¹⁾ Johannes II. de Fechten, archiepiscopus Rigensis 1286—1294., ab ordine in captivitatem redactus et per plures menses in ea detentus et Johannes III. comes Swerinensis, archiep. 1294—1300., eandem sortem passus est per 33 hebdomades a. 1295. Cf. *Voigtii Gesch. Preuss. IV. 121—126., Mon. T. IV. p. XXVIII. XXIX.*

stris ille ordo in Livoniam fuerat inductus, per summam injuriam eripere ³²⁾: tum male consci, cum, si sese in officio ac fide continuissent, Divinum et humanum praesidium sibi non defuisse, modo in Cesaris et Germanorum clientelam se tradere ³³⁾, modo Prutenos in Societatem ac foedus vocare conati sunt ³⁴⁾. Archiepiscopis autem jus suum defendantibus, factum est, ut octoginta totos annos apud legitimum Tribunal Apostolicae Sedi Romae utrinque litigatum sit ³⁵⁾. Atque ut qui ejusmodi artibus et vi alienum Imperium occupant, gravissima incommoda pariunt, sic crucigeri Christianae Reipublicae jam non tantum afferebant auxilii, quantum negotii facessebant, et Pontificum Maximorum, ejus ordinis peccata ob penitentiam dissimulantium ³⁶⁾, toto eo tempore gravissimas solicitudines exacuebant, hinc Germanis et Cesariis rem crucigerorum foventibus, illhinc aequitate pro episcopis ⁱ⁾ pugnante. Quamobrem et Othonem Pomeraniae Ducem Caesar Archiepiscopum Rigensem conatus, ut Apostolica Sedes crearet, non potuit assequi, adversante Bonifacio Nono Pontifice Max^o ³⁷⁾; sed ad extremum idem Pontifex, ubi videt frustra ratione laborari, interea vero plurimarum animarum paucorum pertinet.

ⁱ⁾ Archiepiscopis.

³²⁾ Urbs Riga ab ordinis Magistro Eberardo a Monheim (1328—1340) per totum fere a. 1329. summa cum vi obcessa et a. 1330. m. Martio ei tradita est. Cf. *Mon. T. IV. p. XXXV—XXXVII*. Inde ab illo tempore civitas Rigensis, quae hucusque solum archiepiscopum dominum suum venerabatur, magistri quoque ac ordinis dominium, quamquam peraegre, agnoscere coacta erat: unde sempiterna illa alteratio cum Archiepiscopis, quae duravit per duo saecula, et funestissimae illae discordiae, quae patriam nostram perinde turbavere.

³³⁾ Designat noster auctor varia illa diplomata Imperatorum ac Caesarum germanorum, quae sibi comparaverunt et ordo fratum militiae Christi et ordo theutonicus, ut iis potestatem suam fulcirent, et quae omnia enumerare hic longum est: sufficiet hic unum ex omnibus allegare, quo equites erectam Archiepiscopo civitatem Rigensem sibi vindicare annixi sunt: litteras Imperatoris rom. Ludovici IV. ad confirmandam deditio[n]em urbis Rigae in potestatem ordinis, cui dat summum in civitate exercendum jus, d. d. Ulmia, feria sexta post inventionem sanctae crucis (8. Maij) 1332., quas habes typis exscriptas in *Mon. Tom. IV. p. CLXXIV. nro. 60.* (cf. *Index nro. 527. 528. 490.*). Jam antea Romanorum rex Rudolphus I. civitati Rigensi praeceperat, ut Livonici ordinis magistrum supremum suum judicem agnosceret, d. d. Norimbergae IX. Kal. Dec. Ind. III. Regni a. II. (23. Nov. 1275., cf. *Index nro. 213. Mon. IV. p. CLXVI. nro. 48.*)

³⁴⁾ Pruteni hic sunt equites theut, in Prussia commorantes, quorum magister generalis ordinis quoque Liv. caput erat.

³⁵⁾ Cf. *Dogielis cod. dipl. Tom. V.* et *Voigtii Gesch. Preuss.* pluribus locis.

³⁶⁾ Astute hic auctor noster, qui a partibus Archiepp. stat, benevolentiam Pontificum erga ordinem declarat quasi provocatam poenitentia ordinis, quamvis constet, ejus causam querendam esse et in utilitate, quam ordo ferebat rei christiana, et in donis, ab ordine curiae romanae allatis.

³⁷⁾ Archiepiscopus Rigensis Johannes IV. a Sinten (1374—1393), vehementer vexatus ab ordine et vi ejus arcibus et terris suis privatus ob insimulatam ei auxillii petitionem a Lithuania et Russis, e Livonia aufugerat, auxilium querens apud exterros (*Index nro. 474. 476. 478. 479. 481. 487. 488. 489.*, *Dogiel V. 107. nro. LXVII.*), et a. 1393. a Pontifice maxi, ut illis aerumnis eximeretur, evectus erat in Patriarchae Antiocheni fastigium. Tum ordo, cui tunc temporis P. P. Bonifacius IX. favebat, effecit, ut hic Johannem a Wallenrode, ordinis assecclam, et magistri generalis Conradi a Wallenrode, (1391—1393) cognatum, qui ipse ordinis regilam assumebat, archiepiscopum Rigensem constitueret a. 1395. (*Index nro. 515.*) Quo facto, nonnulli canonici Rigenses, per Germaniam exules, elegere instigante et adjuvante episcopo Dorpatensi Theodoro Damerovio (1378—1400.), Stettinensis ducis S[an]tiborii filium Ottomem, vix quatuordecim annos natum, quem et rex Romanorum Venceslaus protegebat (*Dogiel V. 108—109. nro. LXVIII—LXX.*); sed hic archiepiscopatu exutus est, pace inter litigantes facta Dantisci a. 1397. (*Index nro. 522.*) cf. *Voigtium V. 623—634. VI.*

nacia jacturam fieri posse, Rigam eidem ordini, si ad sanitatem reduci posset, relinquimus passus est^k). Quod an quindecim aureorum millibus acceptis fecerit, ut quidam³⁸⁾ licentius scripsit, ii ipsi qui rerum momenta inspexerunt acutius ac Romanarum rerum, quae tum agebantur, ordinem expendere, secus accidisse norunt³⁹⁾. Ceterum nec ille inficias it, quae a crucigeris in Livonia patrabantur, ea sic nefaria fuisse, ut eradicandum, non sustinendum amplius eum ordinem omnes boni censerent. Quamobrem et Clementis Pontificis mandato^l) earum rerum cognitio demandata est Joanni Archiepiscopo Bremensi, atque Alberto Canonicu Ravennati⁴⁰⁾, ut nemini dubium sit, non quindecim,

^k) in marg. Cod. Vat.: Chromerus. ^l) in marg. Cod. Vat.: Vide harum litterarum exemplum in Duglosso.

³⁸⁾ V. Mart. Cromeri de origine et rebus gestis Polonorum lib. XI. ap. Pistor. II. 384: „Nec dissimili parricidio Liuonienses quoque Cruciferi eodem fere tempore Rigam urbem atque territorium Rigensi Archiepiscopo a quo ante centum et quatuor aut quinque annos simili de causa in Liuoniam inducti erant, per summam iniuriam eripuerere. Qua de re cum Romae lis plus octoginta annis ducta esset, tandem Bonifacius nonus Rigam ordinis Cruciferorum quindecim millibus aureorum acceptis addixit. Multa praeterea nefaria utrique Cruciferi in Prussia et Liuonia, ac Lithuania quoque designabant, unde appareret eos delendae potius, quam propagandae apud barbaros religionis Christianae curam habere. Quae literis Clementis quinti Pontificis Max. quibus cognitionem earum rerum Joanni Archiepiscopo Bremensi et magistro Alberto canonicu Rauennati delegauit, prolixe et diserte descripta sunt. Quarum literarum exemplum extat apud **Dlugossum**.“

³⁹⁾ Ordinis Liuonici magister Wennemarus de Bruggenoye (1389—1401.) archiepiscopatum Rigensem occuparat a. 1392. indeque Archiep. Johannem IV. fugarat (v. supra not. 37.), qua de re litteras excusatorias (**Index nro. 488.**) misit Pont. max. Bonifacio IX. (1389—1404) eique persuadere studuit, hanc occupationem factam esse romanae sedis gratia. Inde Pontifex max. magistrum jussit a. 1394. expendere camerae apostolicae proventum bonorum ad mensam Archiepiscopi et Canonicorum pertinentium usque ad 11500 Floren. auri (**Index nro. 508.**); et canonicos Rigenses regulam ordinis subire, eosque ab ordinis magistro nominari et confirmari, ut in Prussia (**Index nro. 509.**, **Mittheil. aus der livl. Gesch. II. 255—262.**); nec amplius instituti defensioni ordinis, quem liberavit ab apparitione personali in curia romana (**Index nro. 510. 511.**) Cf. Voigtium VI. 7—10.

⁴⁰⁾ In **Jo. Dlugossi seu Longini hist. Pol.** (ed. Henr. L. B. de Huyssen. Lipsiae 1711. fol.) I. IX. pag. 943—951. legitur: „Clemens Papa quintus in Auinione tunc agens, Magistrum et Fratres, totumque Ordinem Domus Teutonicorum Beatae Mariae de nigra Cruce in Prussiae et Liuoniae partibus constitutos, plures crudelitates, in varia Catholicorum prouincias perpendens perpetrasse, Joanni Archiepiscopo Bremensi, et Magistro Alberto de Mediolano Canonicu Rauennatensi Capellano suo, tam horrendorum facinorum per literas Apostolicas committit inquisitionem et examen. In quibus caedem per ipsos fratres in ciuitate Regni Poloniae Gdansk factam, et alia teterrima sclera commemorat. Quarum literarum tale habetur in Ecclesia Rigensi originale, in quo triginta et vnum articuli contra eosdem Fratres conscripti deducuntur.

Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri Joanni Archiepiscopo Bremensi, et dilecto Filio Magistro Alberto de Mediolano Canonicu Rauennatensi, Capellano nostro, salutem et Apostolicam benedictionem. In vinea Domini licet immeriti cultores positi et Custodes, sic in ipsis culturae salubrisque custodiae nos debemus ministerio exercere, ut in ipsa infatigabiliter operantes, extirpandis vitiorum spinis, et peccatorum tribulis, quae superficiem ejus interdum obumbrare conantur; nec non plantandis virtutum germinibus, in quibus Altissimus delectatur, fernore Spiritus et diligent sollicitudine intendendo, ipsam ab illis praesertim oppressionum discriminibus tueamur, quae sub pietatis specie cautius subintrantes difficilius praecaudentur. Sanè tam Praedesorum Nostrorum Romanorum Pontificum, quam nostris continuatis successive temporibus, ex clamore valido et insinuatione famosa, ad audientiam Sedis Apostolicae est deductum, quod Praeceptores et Fratres Hospitalis Sanctae Mariae Teutonicorum, ad hoc solum per Sedem eandem, in Rigensi, Liuoniensi, et Prussiae Prouinciis, constituti, ut Ecclesias ac personas Ecclesiasticas, aliosue Catholicae fidei professores, vallo fortitudinis munientes, ipsos a paganorum et schismaticorum tueantur incuribus, et ad dilatandum ibi Catholicae fidei nomen et cultum, iugiter

sed multo pluribus millibus Crucigeros libentissime justam illam vexationem redimere

elaborent: in gravem (proh dolor) nostri Redemptoris iniuriam, fidelium cunctorum opprobrium, et eiusdem fidei detrimentum, facti sunt hostes domestici, et familiares sunt redditii inimici. Non insurgentes pro Christi nomine aduersus hostes fidei, sed in eorundem fauorem (quod stupet auditus) variis calliditatum generibus dimicantes, potius contra Christum. Ad id praecepue, prout evidenter facti ostendere dicitur, intendentis, ut Ecclesiis omnibus, earumque facultatibus, et aliis bonis fidelium, dictarum partium, earum usibus applicatis, in rerum amplitudine contabescant. Propter quod dimissa Christi militia, imo contra Christi fideles, armis nequitiae, bellum miserabile conserentes, nonnullos Archiepiscopos qui fuerunt pro tempore, aliosque Praelatos et personas in dignitatibus constitutas, illarum partium, non absque iniectione manuum in ipsos, timore Dei postposito, temere, violento, detestabiliter et sacrilego ausu capere, diris mancipare carceribus, et alias eis graues corporales afflictiones inferre, damnabiliter praesumpserunt. Sie de quatuordecim Ecclesiarum Suffraganeis, quas Ecclesia Rigensis Metropolis partium earundem habere consueuerat, septem totaliter deleuerunt, septem aliis in tali statu dimisis, vt plus sint dedecori et pudori decentiae pastoralis, quam si penitus non adessent. Nam de quatuor earundem Ecclesiarum electis Canonicis, in eis Canonice institutos fratres sui Ordinis, pro Canonicis in dictis Ecclesiis locarunt, quos in eisdem de facto instituunt et destituant sicut volunt. Et tales eorum Confratres, pro Canonicis se gerentes eligunt in ipsos, quos iidem Praeceptores fratres mandant de suis confratribus eligendos. Electi vero taliter falsa, imo verius confirmatione aliqua non obtenta, in Episcopos se faciunt consecrari, nullam obedientiam eidem Rigensi Ecclesiae locorum Metropoli facientes. In residuis autem tribus Cathedralibus Ecclesiis vacantibus, intrudunt personas quas volunt, etiam minus dignas: De quibus per potentiae suae abusum electionem faciunt celebrari, ac de modo et forma electionum huiusmodi, nulla examinatione praemissa, per antedictos Fratres sui Ordinis pro Episcopis se gerentes, Electos huiusmodi in Episcopos faciunt consecrari; omnia bona earundem Ecclesiarum, quae insignes consneuerant habere Pontifices, cum solennibus Capitulis, latis et magnis facultatibus et redditibus abundantes, propriis usibus, non absque pernitioso earundem Ecclesiarum dispendio, enormiter applicant; seque, vt liberius in praedictam Metropolim et Ecclesias, caeterosue Praelatos, et fideles partium praedicatorum valeant desaucire, eorumque munitiones, castra, terras, iurisdictiones, et iura propriae subicere ditioni; eisdem Paganis nequam amicitiae foedere vniuent, ac publicum eis adversus dictos fideles impendentes auxilium, consilium, et fauorem, forum, arma, equos, et alia mercimoniorum genera, per quae dicti pagani fideles eosdem possint acerbius impugnare, vendunt, et per alios ipsis vendi permittunt. Quodque grauius est, iidem Praeceptores et fratres, non solum a confinibus eorumdem paganorum, in quibus contra illorum incursum debuissent se murum defensionis opponere, in detrimentum fidelium recesserunt, sed quoddam castrum Rigensis Ecclesiae, eisdem paganis pro certa quantitate pecuniae venundarunt. Regnum Ploczech, quod quondam Rex Plocensis, ad fidem Christi conuersus, prolem non habens legitimam, eidem Ecclesiae Rigensi contulerat pro animae suaee salute, dictis paganis, non absque iactura multitudinis numerosae fidelium dimiserunt. Cuius occasione duae solennes Cathedrales, Zelouiensis videlicet et Ruthenensis Ecclesiae, consistentes in Regno praedicto, totaliter sunt deletae: Quibus castro et Regno praedicto, ad manus dictorum infidelium taliter deuolutis, dicti pagani a locis confinium repulsis fidelibus, magnam partem dictarum prouinciarum, tunc fidelium multitudinem populosam, in solitudinem redegerunt, eisdem fidelibus partim peremptis gladio, partim eorumdem paganorum miserabili iugo suppositis perpetuae seruitutis. Quodque detestabilius est, si quando iidem Praeceptores et fratres offendendi paganos sub cuiusdam umbra pallio velint ostendere se gerere voluntatem, illos fraudulenter impugnant, vt ex eorum facto fideles atrocis impugnentur, eosdem Pagano ex tenuis praedae damno modico, ad destruendum reliqua castra eiusdem Rigensis prouinciae, prauis nocendi artibus irritantes. Fertur etiam de ipsis execrabile facinus, quod cum Rex paganorum cum suis subditis fuisse ad fidem Christi conuersus, ac diuersos Episcopos successiue et Presbyteros seculares, ac fratres Praedicatorum et Minorum Ordinum, in toto Regno suo ordinasset, ad extirpationem errorum, et illuminationem plantationemque fidei Orthodoxae permansuros, iidem Praeceptores et fratres praedicti, proh pudor, velut eiusdem fidei subuersores, quosdam eorundem Episcoporum et fratrū ex inde deiici, quosdam vero interfici, latentibus et occultis studiis procurarunt: et taliter pagani etiam ad fidem conuersi, lumine veritatis abiecto, errores, proh dolor, pristinos resumperunt. Et sic quondam Lechouensis Ecclesia Cathedralis in dicto Regno consistens, cum sua ciuitate et dioecesi, non absque multorum fidelium animarum et corporum deplorando periculo, miserabiliter fuit deleta. Populum etiam Christianum terrae Semigalliae, habentem Episcopum et Presbyteros Orthodoxos, qui eis Ecclesiastica Sacramenta ministrabant, iidem Praeceptores et fratres totaliter deleuerunt. Nobiliores eiusdem terrae, quos ad

voluisse si potuissent⁴¹⁾. Haec itaque Livonicarum rerum inclinatio fuit, quam exceptit

conuiuum inuitarunt, prodigionis nefandae et miserandae saeuitia, mutilatione capitum peremerunt: Reliquam multitudinem dictae terrae ultra quam centum millia populi vtriusque sexus, ad terras paganorum crudeliter profugarunt, dictique fideles eorundem paganorum, in depressionem fidei, perpetuae sunt redditii seruituti. Propter quod et Episcopatus Semigalliae, qui per septem dietas amplam dioecesim obtinebat, totaliter de medio sublatus fuerat. Et ut omnino impediatur ampliatio fidei, et proponendi Verbum Dei facultas quaelibet subducatur, ex eo quod Fratres Ordinis Minorum castri Brunsberg eiusdem Rigensis provinciae, praedicationi dictorum paganorum insistentes, verbum Dei continue diffundebant, ac quidam Frater dicti Ordinis, iugiter per Paganos discurrens, virtute verborum et operum coruscando, die quolibet multos paganos cognitione verae fidei illustratos, sacro regenerationis lauacro innovabat; eisdem fratribus Minoribus de dicto loco ignominiose eiectis, eundem locum funditus destruxerunt: nullos omnino eiusdem verbi praedicationi insistere permitentes, Ecclesias quoque, oratoria, et capellas aedificare pro Neophytis non permittunt: ita quod dicti Neophyti in rudimentis fidei non instructi, ac in Ecclesiis cum Orthodoxis participium non habent, nec in fide nec in moribus fidelibus sunt conformes: pessimum etiam vitium eorundem paganorum sectantes, confratres suos, si quos contigit interdum in hostili congressu vel conflictu aliquo vulneribus sauciari, contra morem eiusdem fidei Orthodoxae, priusquam expirent, impletate quadam saeuissimae feritatis extinguunt, eorum corpora flammaram incendio concremando. Ac vt praemissa et alia eorum de testabilia scelera eiusdem sedis effugiant notionem, vniuersos fideles clericos et laicos, eniusecumque dignitatis et status existant, ad exponendum querelas de ipsis tantarum persecutionum, necessitate cogente, ac Sedem Apostolicam accedentes, crudeliter persecutuntur, mortem eis per se et alias inferendo. Sicut haec in personis quondam Magistri Alexii Doctoris Decretorum, et aliorum quam plurimorum, quos redeuntes de Romana Curia, ad quam venerant contra eos, crudeliter occiderunt, dicuntur liquido apparere. Nec dum finem praemissis enormitatibus imponentes, sed mali esse, boni credi, sub pallio ignoratae nequitiae cupientes, passus et itinera debita, per quae de ciuitate Rigensi exitus et redditus ad eandem quadam necessitate ineuitabili peraguntur, sub ea faciunt custodia detineri, vt nonnisi personis, quas volunt, gressus ex ea pateat vel regressus. Sieque dicta ciuitas exitum et redditum non habendo liberum, eiusdem obsidionis et angustiae dispendia cogitur deplorare. Ad quam quidem obsidionem, praeculis itinerum quorumenkque vestigiis, fortius angustandam, quoddam castrum a superiori parte ad portum monasterij Dimimundensis [Dunamundensis], Cisterciensis ordinis eiusdem ciuitatis ac dioecesis Rigensis, in quo eadem Ecclesia Rigensis ius obtinet patronatus, ab inferiori parte eiusdem ciuitatis Rigensis consistens, absque quibus ciuitatem eandem, nec per terram, nec per maris vestigia ullus potest ingredi, vel exire, quadam illicito emptionis titulo, cum monasteriis alienatio sit prohibita sacris Canonibus, et etiam ipsius monasterii Dimimundensis [Dunamundensis] propitiae memoriae Gregorij Papae noni Praedecessoris nostri priuilegio speciali eiuslibet alienationis contractus foret specialiter interdictus, temeritate propria occuparunt, et detinent occupata. Propter quae in eisdem prouinciis, in quibus Esclesiam suam foetu nouae prolis ad fidem consuersae Dominus ampliabat, familiari peste intestinam exercente saeuitiam, non solum fides radicata et fundata non proficit, sed etiam persecutione domestica, et nisi celeri occurratur remedio, nomen ibi deperit Christianum. Nouissime ad nostrum peruenit auditum, quod dicti Praeceptores et fratres Hospitalis eiusdem, dilecti Filii Nobilis viri Vladislai Cracoviensis et Sandomiriensis Duci terram hostiliter subintrantes, in ciuitate Gdansko ultra decem millia hominum gladio peremerunt, infantibus vagientibus cuiusvis mortis exitium inferentes, quibus etiam hostis fidei perciosset. Idem quoque Praeceptores, et Fratres, quam plura alia detestanda dicuntur committere, quorum series se nimis extenderet, si singulariter singula praesentibus clauderentur. Nos igitur, qui disponente Domino, eiusdem Dominieae vineae regimini praesidemus, desiderantes vt in ea virtutes et virtutum palmites conualecant, succisis vitiorum tribulis: Attendentes quoque quod praemissa quae de dictis Praeceptoribus et fratribus referuntur, vt pote pernitirosa, et nostrae fidei contraria, imo Christi fidelium cunctorum cordibus inimica, sub dissimulatione transire salua conscientia nequeamus: Considerantes etiam, quod in talibus debitum correctionis referre remedium, nihil esset aliud, quam licentiam sceleribus indulgere, discretionem Vestram, de quorum circumspectionis industria, plenam in Domino fiduciam obtainemus, hortandum attente duximus et monendum, Vobis per Apostolica scripta districte praecipiendo mandantes, quatenus ad partes illas, seu loca illarum partium, quae vobis pro executione huiusmodi negotij viderunt poterunt magis apta, vos personaliter conferentes, et habentes praec oculis solum Deum, contra praedictos Praeceptores eiusdem Hospitalis, in dictis provinciis et partibus consistentes, super praemissis omnibus et singulis, nec non super articulis, quos sub bulla nostra Vobis destinamus inclusos, ac super aliis critib[us] et excessibus, super quibus eos intenietis publice diffamatos, inquiratis diligentius veritatem: eaque dili-

Mosci Principis tentatio, quem adversus Livones Deus excitabat, eorum peccata suo tempore castigaturum: licet ut divina tarde progreditur ira, nec vero a Catholica fide Livones prorsus exciderant, permissum non est, ut res eorum omnino conciderent. Moscus enim anno a Christi Domini ortu trecentesimo octogesimo primo supra millesimum ingentibus copiis Niehusium, Derpatensis Episcopi arcem, duodeviginti milliaribus Derpato distantem, sic oppugnavit, nulla ut spes obsensis superesset. Quamobrem ad Deum ex animo conversus Arcis Praefectus et sagittam in Dei nomine versus Ruth-

genter ac sollicite inquisita, quaecunque inueneritis, in scriptis redacta et sufficienter instructa, nobis sub sigillis Vestris procuretis fideliter intimare. Caeterum, castrum et monasterium Duminundense [Dunamundense], quod dicti Praeceptores et Fratres, vt permittitur [leg. praemittitur], sub eiusdam emptionis colore retinent, occupatum, per eosdem Praeceptores et Fratres, facientes expeditum et liberum dinniti, et illud usque ad nostrum beneplacitum praefatae Sedis nomine teneri, ac per personas idoneas atque fideles, quas ad hoc eligendas industria vestra perspexerit, faciatis cum diligentia custodiri. Vt autem ad praemissorum executionem eo liberius intendere valeatis, quo maiori fueritis per nos auctoritate muniti, vobis inuocandi auxilium et succursum, ad praemissa omnia et singula exequenda, ubi et quando expedire cognoveritis, tam Praelatorum, quam etiam Principum, et alium [l. aliorum] secularium cuiuscumque conditionis vel status existant, vel quacumque dignitate praefulgeant, contradicentes quoque et rebellis, nec non testes, quos ad hoc duxeritis connocandos, per excommunicationis, suspensionis, et interdicti, nec non priuationis priuilegorum eisdem concessorum a Sede predicta, sententias compescendi, tam de duabus dietis, in Concilio generali, quam de aliquo extra ciuitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et illis ultra vnam dietam in fine sua dioecesis ad iudicium vocando, et aliis quibuscumque constitutionibus, quae vestrae possent iurisdictioni vel potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obuiare, aut si testes quos ad hoc euocari contigerit fuerint, Praedicatorum vel Minorum Ordinum quoruncumque, vel si predictis Ordinibus a predicta Sede indultum existat, quod predictorum Ordinum Fratres ad perhibendum testimonium in quibuscumque causis vel negotiis compelli non possint: seu si dictis Praeceptoribus et Fratribus ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis indulgentiis, et literis Apostolicis quibuscumque, in quacumque forma verborum concessis, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta praemissorum executio posset quomodolibet impediri, nequaquam obstante, plenam vobis concedimus tenore praesentium facultatem. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Aniione tredecimo Calendas Julii. Anno Domini, millesimo tricentesimo undecimo. Pontificatus nostri quinto. — Totum mandatum, cuius „in ecclesia Rigensi originale“ auctor memorat, etsi longum est et apud **Dogiel**em quoque (*V. 55—57. nro. XXXVII.* ex orig.) extat, hic typis exscribi jussimus, quia nimur grave et ad res gestas ejus temporis bene perpendendum videtur. Illud **Gadebuschius** in *Livl. Jahrb. I. 1. p. 380.*, **W. C. Friebe** in *Handb. d. Gesch Liefl. I. 203.*, **B. Bergmann** in *Mag. f. Russl. Gesch. I. 1. p. 26. 42.* et **Voigtius** in *cod. dipl. Pruss. T. II.*, in *Reg. pag. X.* et in *Gesch. Preuss. IV. 243. not. 2.* e **Dogiele** citarunt; de alio in eadem causa paulo serius edito mentio fit in eadem *Gesch. Preuss. IV. 504.* Apud **Dogiel**em dies harum litterarum apostolicarum ita exscribitur: die 19. Junii 1309.; sed cum Clemens V. (Bertrandus de Goth, ep. Burdigalensis) electus esset 15. Junii 1305., consecratus 14. Nov. ejusdem a. et pontificatus sui annos inde ab coronatione die numeraret (v. *Brineckmeier histor. Chronol. p. 298*), datum hujus mandati excurrit in 19. Junii 1310., non 1311., ut habet **Dlugossus**, nec 1309., ut ait **Dogiel**. Ceterum rerum cognitio non facta est per Joannem Archiep. et Albertum canonicum, sed per alium nuncium apostolicum, canonicum Landunensem Franciscum de Moliano (v. *Index nro. 277—279. Mittheil. III. 68. nro. 39. 60.*, **Voigtii cod. dipl. pruss. II. 86. nro. LXXII.**) Igitur hae litterae ad prioris temporis historiam spectant, et ad exiens seulum XIV. tanti momenti historici non sunt, quanti eas facit **Possevinus**, qui solam rationem habuit crudelitatum a Crucigeris perpetratarum et in litteris illis enumeratarum ab eodem papa, qui et regem Galliae Philippum IV. Pulchrum in perdendis Templarii sua auctoritate adjuvit (cf. *F. Rühs Handb. d. Gesch. des Mittelalters p. 275.*, *E. A. Schmidt Gesch. Frankr. I. 692—707. 711—714.*, **Voigtii Gesch. Preuss. IV. 246.**)

⁴¹⁾ Callide noster auctor per phrasin elegantem detrectat accuratiorem dissertationem de litibus inter ordinem et archiepiscopos habitis et transit ad tempora posteriora et bella Ruthenorum cum Livonibus gesta.

norum castra ejaculatus, ictum, Deo mirabiliter dirigente, ipsius Moscorum Principis cor transfixit: quae sagitta deinde recuperata trophei loco et divini beneficii ergo ea in basilica eousque suspensa permansit, donec luterana labe sacer ordo, cultusque divinus abolitus est. At vero terrore divinitus in Moscorum animos immissos, gens ea in suas regiones secessit, et Livones pacate vixerunt⁴²⁾. Sed sequenti seculo cum qui erant in Prussia crucigeri Polonicam Rempublicam identidem turbarent, Livones item ad eadem quasi commilitones adhibuere, qui licet varias exercerent simultates cum Episcopis, Catholicam tamen adhuc fidem retinentes, ultricem Dei dexteram neendum ita gravem, ut postea evenit, persentiebant: nisi quod cum hinc Antistites, illhinc Polonos immerito vexassent, Mosci quoque potentis militiae illius ordinis viciniam iniquius ferentes, cum variis bellis eatenus distenti, ac repressi fuissent, quominus Livoniam possent invadere, excitati^{*)} sunt denique, ut illam serio tentarent. Itaque ineunte hoc seculo varia praetextentes, revera autem potiundae maritimae ac suis commerciis aptissimae regionis cupiditate inflammati (quamobrem et eo praetextu Rigae⁴³⁾, Revoliae, Derpati templa, in quibus Ruteno ritu mysteria sua exercent, erigi pridem curaverant), exercitum firmum et plenum conscribunt. Moscis praeerat is, qui olim Gabriel, deinde Basilius Joannis filius dictus est, matre Sophia Thomae Paleologi Peloponensis^{m)} Principis filia natus⁴⁴⁾, ordinem autem Crucigerorum in Livonia regebat Gualterus Pletemburgius⁴⁵⁾

*) leg.: excitatae. m) Peloponnesi.

⁴²⁾ Cf. *Tilmanni Bredenbachii belli livonici hist. Coloniae 1638. 12.*, germ. versa in *Bungii Archiv I. 185.*; *J. A. Thuani histor. sui temporis Tom. I. (Francof. 1617. fol.) libr. XXI. pag. 412.*, *Arndtii Liefsl. Chron. II. 111.*, *Beitr. z. Gesch. der Kirchen u. Prediger in Livl. Heft IV. (Mitau 1832. 8.) p. 163.*

⁴³⁾ Ipsa in urbe Riga, in vicinitate aedium, quae dicuntur capitum nigrorum, fuere plateae sic dictae ruthenicae, major ac minor, quarum nomina ad nostra usque tempora manserunt, et in eadem urbis regione inter tabernarum institutorum locatores plures fuerunt Rutheni, quorum nomina citantur (*Rig. Stadtbl. 1824. pag. 145.*). Ante reformationis lutheranae tempora Rigae fuit Russorum ecclesia, dicata divo Nicolao, sita sine dubio in ipsa illa platea ruthenica et subdita Archiepiscopo Polocensi (non Plescovensi, ut habet *Brotzius* in *Neue Nord. Misc. XI. XII. 416.*). Destructa aut saltim vastata videtur esse tempore turbarum in hac urbe excitatarum ob persicas libertatis christiana, quam reformatores praedicabant, interpretationem. A. 1502. mentio fit monasterii ruthenici in quodam protocollo, quod agit de condendis legibus, ad ordinem et disciplinam publicam pertinentibus; ibi civi cuidam urbis nomine Nicolao vom Hofe, sub poena trium marcarum injungitur, ut deleat monasterium ruthenicum, sine dubio in ejus fundo extructum („Item Clauves vam haue aff to rumende dat russesche kloster by iij mck“); sed nil amplius de illo monasterio (?) constat. Cf. *Mon. Liv. ant. T. IV. p. CXXVIII. CCLVI.*

⁴⁴⁾ Gabriel, postea Basilius nominatus, filius magni ducis Joannis Basilidis I., natus erat d. 25. Martii 1478, patri successit 1505, obiit 3. Dec. 1533. (Cf. *Karamsini hist. Imp. Russ.*, vers. germ. VI. 111. 298. not. 61. 267., VII. 150—157. De matre ejus Sophia Palaeologa v. *ibid. VI. 43.*) Sed erat noster, hunc Balisium eum nominans, quocum Plettenbergius magister conflixit; hic pater ejus fuit Joannes Basilides I., natus a. 1440. 22. Jan., a patre Basilio Basilide in magnum ducatum cooptatus jam a. 1450., huic successit a. 1462. 17. Mart., obiit 27. Oct. 1505. (Cf. *Karamsin V. 219. 269. 286. VI. 267.*)

⁴⁵⁾ Wolterus a Plettenberg, Landmarschaleus ordinis livonici jam a. 1489., magister electus 1494. 7. Julii et confirmatus 9. Oct., obiit 28. Febr. 1535. Cf. *Mittheil. aus d. livl. Gesch. VI. 303—304.*, *K. A. Kurtzenbaum Kurze Darstellung der Regierung des OM. Wolter von Plettenberg. 1. 2. Abschnitt. Riga 1856 u. 1857. 4.*

e Vestphalorum, qui sunt occidentales Saxones, familia nobili, vir impiger, atque Catholicus. Hic Moscum antevertendum ratus, adjunctis sibi mature septuaginta Germaniae civitatibus, quae multo antea inter se esse foedus icerantⁿ⁾, cui ob animos eo vinculo quasi quibusdam ansis coherentibus, nomen ab ansa acceperant⁴⁶⁾, cum septem Germanorum^{o)} equitum, ac quinque Curonum, Livonum millibus in hosticum excurrit, ubi aliquot arcibus de Mosco captis et versus Plescoviam, ingentem ejus Principis civitatem, progressus, in eo^{p)} patenti planicie substitit, praelioque commisso cum centum Moscorum, ac decem et septem Tartarorum millibus, quos Moscus in prima acie collocaverat et quasi antesignanos praemiserat, sic illos fudit⁴⁷⁾, ut illo pacem petente haec ad quinquaginta annos composita fuerit⁴⁸⁾. Interea Pletemburgio demortuo, dum Crucigeri domi pacem haberent, imperiosiores tamen in rusticis ac subditos Livones⁴⁹⁾, nec minus in Episcopos et Sacerdotes erant, quare vindictae divinae tempus appetebat, ut qui istos sprevissent, spernerentur a Deo, quique dum legitimos Ecclesiae Dei ministros habuerant, ad dignissima Christianorum militum munera obeunda fuerant exhibiti, ab ea recedentes, et ipsam Ecclesiam, et militiae decus, et cum salute aeterna quidquid multos annos (ne dicam per aliquot secula) compararant, amitterent. Sic in Germania primum, ac deinceps per Germanos in Livonia faedis heresibus Luteri serpentibus, facile fuit, ut concepto in Sacerdotes odio Teutonici ordinis Magister, ac plerique alii pestilentibus erroribus inficerentur: eo magis, quod eas de religione novationes, suae quoque rei augendae ac de manu sacerdotum preventibus extorquendis, populorum accidente studio (ut ad

ⁿ⁾ inierant. ^{o)} Germanicorum. ^{p)} ea. (In textu ad vocem eo subintelligendum ex antecedentibus hostico.)

⁴⁶⁾ Mira explicatio nominis germanici ex idiome latino! Hodie nomen Hansae deducitur ab antiquo vocabulo germanico, designante societatem conjunctam vel teloneum quoddam mercatorum. Cf. C. F. Sartorii *Urkundl. Gesch. des Ursprungs der Deutschen Hanse*, herausgeg. von J. M. Lappenberg. (Hamburg 1850. 4.) I. 73—76., G. Gallois *Der Hansabund* (Leipzig 1851. 8.) p. 63.

⁴⁷⁾ In illo bello ordinis Livonici contra Russos duae commissae sunt pugnae, quibus Plettenbergius victoriam reportavit: altera a. 1501. 27. Aug. ad fluvium Sirizam, decem verstas ab arce Isborsk in confiniis russicis, ut monachis habent auctores russici (e. g. *Karamsinus*, vers. germ. VI. 242. 251—255. 306. 508. not. 171—173. 185.) et veteres scriptores Livonici *Russovius*, *Hiaernius*, *Kelchius*, aut ad Maholmum in Estonia inter Wesenbergam et Narvam oppida, ut aiunt Livonici historici *Nyenstadt*, *Arndtius*, *Gadebusch*; altera d. 13. Aug. 1502. prope Plescoviam. Cf. O. Kienitz *Die Schlachten bei Maholm und Pleskow. Ein Denkmal Plettenbergs. Riga 1849. 8.*

⁴⁸⁾ Pax illa quinquaginta annorum, quae facta esse dicitur post Plettenbergii victoriam, nil nisi fabula est. Post illam victoriam Russorum magnus dux et ordo Livonicus pacem iniere in sex annos Novogrodiæ a. mundi 7011, Christi 1503. (v. Index nro. 2497., O. Kienitz *Die Schlachten bei Maholm u. Pleskow. p. 85—88.*), quae postea identidem renovata et prolongata est usque ad a. 1553., ita ut inde pateant quinquaginta illi anni pacis. At nunc non possumus enumerare varias illas pactiones; sed relegamus lectorem benevolum ad illam „collectionem diplomatum russicorum et ad Russiam spectantium, ex archivis et collectionibus Livonicis“, quam ipso hoc tempore prelo submissuri sumus et ubi habebis varia illa instrumenta pacis.

⁴⁹⁾ De moribus et vitae genere, quod eo tempore (1535—1555.) in Livonia invaluerat, cf. *Russovii chron. ed. Barth. fol. 27b—33.*

licentiam facile fleetuntur) percommodas existimarent⁵⁰⁾. Itaque pellio quidam Vittembergensis⁵¹⁾ clanculum in aedibus civium Dorpati conciones habere, animos ad praedam Ecclesiarum accendere: nec ita multo post ad aras evertendas, ad sacrosancta sacramenta pollutis pedibus conculcanda, denique ad sanctimoniales Virgines violandas, monasteriaque ad omne facinus pandenda, faces admovere. Is hujus seculi annus vigesimus septimus fuit, quem postea qui consecuti sunt anni, nihil melius habuerunt, catholicis quoque sacerdotibus defervescentibus, humanisque praesidiis potius quam celestibus jam sua tutantibus, heresi autem interim gliscente, ac provinciam solo uberem, arcibus munitam, gloria insignem, mari fluminibusque ad merces importandas et exportandas factam, gravissime labefactante. Interea Vilelmus Marchio Brandenburgensis Alberti Duci Prussiae frater, qui ex matre Polona Regis Casimiri filia, Sigismundi primi Sorore natus, Rigensis erat Archiepiscopus⁵²⁾, anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo salutis nostrae Rigam Imperii Germanici nomine ingressus, cives in fidem recepit⁵³⁾. At Moscus⁵⁴⁾ qui rerum modo potitur, cum pacis in quinquaginta annos iactae cum Pletemburgio terminus efflueret, qui annus presentis seculi quinqua-

a) Episcopus.

⁵⁰⁾ De ortu et progressu reformationis Lutheranae in Livonia, praecipue Rigae, Revaliae et Dorpati, cf. *Mon. Liv. ant. T. IV. pag. CI—CVII. CXXII—CXXIX.*, *W. Brachmann Die Reformation in Livland*, in *Mittheil. aus d. livl. Gesch. V. 1—266.*, *Th. Rallmeyer Die Begründung der evangelisch-lutherischen Kirche in Kurland durch Herzog Gotthard*, *ibid. VI. 1—224.*

⁵¹⁾ Auctor denotat Melchiorem Hofmannum, fanaticum, qui a. 1525. et 1526. pacem civitatis Dorpatensis sermonibus suis acerrimis turbarat, excitans plebem ad evertendas imagines in templis christianis; de eo v. *Brachmannum l. c. p. 67—78*, *Krohn's Gesch. der Wiedertäufer p. 60—70.*, *Gadebusch livl. Jahrbücher I. 2. S. 315—320*. Annum 1527. auctor noster paulo inferius citat e *Tilm. Bredenbachii hist. belli Livonici p. 17—25.*, cf. *Arndt II. 195. not. y.*

⁵²⁾ Wilhelmus marchio Brandenburgicus, natus Anspachiae a. 1498. 30. Junii, coadjutor Archiepiscopi Rigensis electus 1529., in Livoniam venit anno sequenti, Archiepiscopo Thomae successit 1539. 10. Aug., civitatis Rigensis juramentum obsequii haud prius impetravit, quam a. 1547 27. Jan., eique a. sequentis 6. Febr. religionis liberae exercitium et privilegia confirmavit, eidem una cum capitulo ecclesiam cathedralem cessit, pretio 18000 marcarum accepto, a. 1551. 16. Dec., obiit a. 1563. 4. Febr. De eo v. *Mon. Liv. ant. Tom. V.*, ubi habes relationem diplomaticam de ejus rebus gestis, *F. G. Bungi editionem chronici Barth. Grefenthal*, cuius cognatus Marcus hujus Archiepiscopi cancellarius fuerat, et largam collectionem ejus temporis diplomatum et actorum cum additamento *R. H. Bussii*. Ipse, quamvis se gesserit usque ad vitae finem ecclesiae catholicae in his terris praesidem (*l. c. p. LI.*), ex animo doctrinae lutheranae addictus fuisse videtur, cf. *l. c. p. LV.*

⁵³⁾ Solo Mosci nomine noster auctor — nescio quare — designat Joannem Basilidem II., magnum ducem et czarum Russiae, qui natus 1530. 25. Aug., patri Basilio successit 1533. 3. Dec., coronatus 1547. 16. Jan. in dignitatem czaream, quam a. 1561. ecclesia graeca s. orientalis agnovit (v. *Соборная грамота духовенства православной восточной церкви, утверждающая сань цыра за великимъ княземъ Иоанномъ IV. Васильевичемъ, 1561 года*. Издана Кн. М. А. Оболенскимъ. Москва 1850. 4.), Casanum expugnavit a. 1552., Astrachanum in suam ditionem redigit a. 1557., inde ab a. 1558. 22. Jan. bellum Livoniae intulit, obiit 1584. 17. Mart. Cf. *Karamsin, vers. germ. VII. 123. 134. 258. 336. 374. 409. IX. 60.* — Ad ea, quae deinde in textu sequuntur, conferendi sunt historiae Livonicae et Russicae scriptores, ad quos lectorem benevolum relegamus, ne, omnia singula perscrutantes et illustrantes, totam Livoniae historiam scripturi videamur.

gesimus fuit, animum ad Livoniam subiectandam adjecit; sperans si eam assequi posset, fore, ut suum Imperium non minus ad solis occasum propagaretur, quam ad Septentriones, et Orientem, factum erat, quarum mundi partium sese magnum Czar seu Regem vocitabat, quod duas Tartarorum hordas (sic conventus illi suos nominant), quarum Casanum et Astracanum, ad mare Caspium situm, erant primariae Sedes, suo subjecerat Imperio. Itaque ex viribus Livonum attritis et ex variis sectis ex illis primis Luteri heresibus jam emergentibus, nactus ad bellum indicendum opportunitatem, minatur Derpatensibus, ni antiquum Moscorum Imperium agnoscant, illos expugnaturum, debitoque suppicio affecturum. His prorogationem induciarum enixe potentibus, et magna pecuniae summa, seu dono, postea consequi frustra procurantibus, pollicetur se Livonibus eam concessurum, si quibus in Templis Derpati, Revaliae ac Rigae Ruteni antea suo ritu vivebant, ea (quoniam fuerant ab haereticis eversa vel una cum sacris catholicorum aedibus ad usus prophanos translata) iterum extruant Rutenisque tradant: singula Derpatensium capita marcam pendant (et marca aurei coronati quinta pars est), illata damna compensent; negociationis pristina libertas restituatur; Polonis ac Lituanis ne suppetias ferant, et hujusmodi^r) alia, quae hujus commentarii erunt, cum ceteris quibusdam actis appendix^s)⁵⁴). Quo vero speciosiore titulo pugnandi uteretur, ea ferunt verba Mosicum pronunciassae: Si Romanus Pontifex Romanumque Imperium (de Carolo enim Quinto ac de Ferdinando ejus fratre Imperatoribus quaesita sepius a crucigeris auxilia non comparebant) aequo animo ferunt, ut Sacerdotes et Monachi sui a Luteranis pestilentibus profligentur, tempa diruantur, atque sacraria omnia polluantur, jam nos pati non possumus, sectam, quae tantam secum perniciem trahit, in nostris Provinciis impune grassari. At quidem inde altissimum concepit odium Moscus adversus Luteranos. Verum, ne propterea quidem destitut, ubi Livoniam invasit, quin et ipsa, quae reliqua catholicorum erant, aut funditus everteret, aut certe faedaret, aut pios quosque Monachos et sacerdotes inde ablegaret, arcesque et aedificia, ex muro lateritio omnia aedificata, in stabula converteret, aut gothico more (ut Romae factum est) corrumperet, ne qua integra species architecturae aut elegantis operis cerneretur. Quae dum fierent, ac Rigensis Archiepiscopus hereticos, qui Rigae omnia turbarant, compescere studeret, Vilelmus Furstembergius^t)⁵⁵), crucigerorum Magister, ex Luteranorum depressione, quibus jam adheserat, vires et partes suas depresso iri intelligens, commentus apud suos, interceptas a se

^r) eiusmodi. ^s) forsitan leg. appensis; sed et textus nostri lectio bona est.

^t) Furstembergius.

⁵⁴) Haec acta desunt in codd. mscr.

⁵⁵) Wilhelmus Fürstenberg, post obita varia ordinis munera, Coadjutor magistri 1556., magister confirm. 13.

Aug. 1557., abdicavit munere 1559. m. Aug. et se recepit Fellinum, unde expugnata arce atque urbe a. 1560. 21.

Aug. a Moscis captivus deductus est in Russiam, ubi etiam 1566. m. Majo in arce Lubinensi vitam trahebat. Cf.

Index II. 351., Mittheil. VI. 473., Rheinisches Taschenbuch f. das Jahr 1816. — A partibus Lutheranis stetisse videtur, ipseque cantum sacrum composuit, v. *Mittheil. V. 25.*

literas Archiepiscopi, quibus Teutonici Collégii extinctionem moliebatur, scribit militem, et ipsum denique Archiepiscopum, in arce Coquenhausio ad Dunam fluvium, obsessum, capit, atque in vincula conjicit⁵⁶⁾. Quem postea Sigismundus Augustus, Rex Poloniae, exercitu ad eum liberandum educto, in integrum restitui, damna sarciri, sibi autem, quidquid eam in expeditionem insumpserat, refundi curavit⁵⁷⁾: quamobrem ejus ordinis thesauri male collecti penitus exhausti sunt, et res eorum vehementer accisae. Eodem anno, qui octavus supra quinquagesimum hujus saeculi fuit, quinto decimo Kalendas Augusti Derpatum⁵⁸⁾, aliaeque arces capiuntur a Mosco: capitur et Hermanus Falconaviensis⁵⁹⁾, ejus civitatis Episcopus, qui non bonis artibus Reccio⁶⁰⁾ successerat, homini et ipsi, qui cum se ab eo Episcopatu abdicasset, ut imminentem cladem declinaret, parum pensi habens, quid grex suus esset pasturus, in Germaniam interiorem se recepit, ac pròiecta jam aetate uxorem (si uxor dicenda sit⁶¹⁾) duxit. Ac ut omnium acerbissimum, et postremum flagellum est heresis, sic ea percussi caecitate Livones, pestilentia non semel afflicti, deinde mutuis dissidiis distracti, denique sub jugum Moscorum intolerabile tracti, clades ex aliis alias perpessi sunt, quas non minus vere quam diserte Tilmanus Bredenbachius de Livonico bello, et vastatione Derpatensis Provinceae persequutus est⁶²⁾. Inde etiam factum est, ut (quemadmodum Iudaea, quoniam a sincero Dei cultu debitaque pietate degenerasset, in tetrarchiam illam, certo exitii indicio divisa est) sic Livonia discissa sit in quatuor Principatus Mosci, Sveci, Dani, Polonorum Regis. Nam et Ericus, Sveciae Rex, is qui catholicam fidem primo, deinde Regnum, ac denique in carcere vitam amisit, Revaliam occupavit⁶³⁾; et Magnus Holsatiae Dux, Friderici Regis Daniae frater, Episcopatum Habsensem invasit⁶⁴⁾,

⁶¹⁾ est.

⁵⁶⁾ V. Monum. Liv. aut. T. V, p. XXXIV—XLIV.

⁵⁷⁾ V. Pacta Poswoliensia d. d. 5. Sept. 1557. apud Dogiel. V. 210—219. nro. CXXVI. CXXVII.

⁵⁸⁾ V. Mittheil. I. 430—522.

⁵⁹⁾ Hermannus Weiland, Wesaliensis, monasterii Falkenaviensis in vicinia Dorpati Prior, tum Abbas, electus quoque episcopus Derpatensis 1552. 17. Oct., post captam per Russos urbem Derpatum 1558. 20. Jul. ex abbatia sua, in quam se repererat, etiam captivus abductus in Russiam, ubi adhuc 1559. m. Sept. in vivis erat et unde non rediit. Cf. Index II. 561. Falso dicitur episcopatum a decessore pretio numerato emisse, v. Gadebusch l. Jahrb. I. 2. p. 421. Arndt II. 277. in not.

⁶⁰⁾ Jodocus von der Recke, electus episcopus Derpatensis 1543., abdicavit et in Germaniam abiit 1551. 18. Apr., v. Gadebusch l. c. p. 486.

⁶¹⁾ Tilmannus Bredenbachius, Theol. Dr. et canonicus Coloniensis, Derpatensis et Antwerpiensis † 1587., scripsit: *Belli livonici, quod magnus Moschoviae dux anno 1338. contra Livones gessit, nova et memorabilis historia etc. Coloniae 1338. 12. — Ibid. 1364. 8. — Antwerpiae 1364. 8. — Duacii 1365. 8. — Nissae Silesiorum 1365. 8. — Francof. 1684. 8. — hollandice versa — est quoque in Scriptor. rer. Moscov. Francof. 1600. fol. p. 210. sqq. — in A. de Starczewsky hist. ruth. scriptt. exteris Saec. XVI. Vol. I. Berol. et Petrop. 1841. 8. maj. Nro. IX. pagg. 23. — germanice versa ab E. de Tiesenhausen in Bungii Archiv I. 172—194.*

⁶²⁾ a. 1561. 4. Junii et 2. Aug., v. Dogiel cod. dipl. V. 256. nro. CXXXVII., Neue nord. Miscell. XI. XII. 536—563.

⁶³⁾ a. 1560. m. Apr.; simul episcopatum Piltensem s. Curoniae emtionis pretio occuparat, ut et postea Revalensem;

cujus Osilia insula adhuc in manibus est ejus Regis: ac Sigismundo Augusto, Poloniae Regi, pars Livoniae obtigit: illi, quod varia praetexuerant, hie, quod (uti mox dicimus) quidam nominatus, sed non rite delectus Archiepiscopus, atque alias ordinis magister ejus se patrocinio commendarant. Etenim non dormiente Dei oculo contigit, ut Vilelmus Furstembergius, ordinis crucigerorum magister, qui Vilemum, Archiepiscopum Rigensem, (ut diximus) in vincula conjecterat, Velini, quae Arx Livoniae satis est munita, anno hujus seculi sexagesimo caperetur a Mosco, inque Moscovia vitam et (nisi resipuit) saluteam aeternam amitteret. Quamobrem Gottardus Ketelerus, equestri apud Vestphalos genere ortus, qui catholicae fidei valedixerat, in ejus locum suffectus⁶⁴⁾, cum ab Romano Imperio frustra expectari auxilia cerneret, Poloniae Regi ea lege et fide se obstrinxit, ut vicissim Rex adversus Moscum, aliosque hostes eum tueretur, Curlandiae et Semigalliae Dux crearetur, regionesque easdem ubere solo praestantes atque per amplas, ceu cliens sibi suisque heredibus masculis aeterno jure addictas accepit⁶⁵⁾. In ceteris Livoniae urbibus, quae erant in potestate Sigismundi Augusti ac precipue Rigae vicarius constitutus est regius⁶⁶⁾. Neque vero multo post idem Ketelerus Annam, Principem Megalopolitanam ex Obotitorum familia, universa illa jam tum haud catholica, genitam, Joannis Alberti, Megalopolitanus, Prussiae Ducis generi, et Christophori, nominati Archiepiscopi Rigensis⁶⁷⁾, sororem, matrimonio sibi jungit. Quibus rebus omnis illico religionis catholicae cultus concidit, reliquis parum caelestia curantibus, dum terrena possiderent. Poloniae item Rege Sigismundo ob affectam valetudinem, atque alia minus attente Rempublicam administrante, ac vero Germaniae Imperio eadem heresum plaga sic affecto, ut neque illis nec presenti suo morbo Turcisque Hungariam vexantibus, dum variis politicis rationibus occurritur, sinecnum a Deo remedium adhiberetur.

At interea viginti totos, qui secuti sunt, annos Moscus Polenos, Svecos et Livones bellis continenter exercuit, quae cum semper haud prospere succederent, suum tamen auxit imperium, Schismaticumque Rutenorum ritum diligentissime in Livoniam invexit: Vladicam id est Episcopum Derpati imposuit⁶⁸⁾, utque Daniae Regem non ha-

titulum Regis Livoniae adsumsit a. 1570. et per aliquod tempus gessit, in sedem Piltensem se recepit a. 1578.
† 18. Mart. 1583. Cf. K. G. Sonntag, *König Magnus, eine historische Skizze*, in K. L. Gräve's *Caritas*, 2. Jahrg. 1831. p. 183—206.; Mittheil. III. 117—123. 328—352.

⁶⁴⁾ Gotthardus Kettler, Coadjutor magistri Livonici 1558, 9. Jul., magister 1559., Livoniam tradidit Regi Poloniae, Curoni et Semgalliam in feudum accepit ducali cum nomine, ordinis valedixit 1562. 5. Mart. † 17. Maii 1587.
Cf. F. B. Albers Nord. *Almanach 1807. p. 5—68.*, Mittheil. VI. 488.

⁶⁵⁾ V. Pacta subjectionis et Privilegium nobilitatis d. d. 28. Nov. 1561. apud Dogiel V. 258—248. nro. CLXXXVIII CLXXXIX.

⁶⁶⁾ Nicolaus Radziwill in Olyka, Nieswicz Dux, Palatinus Vilnensis etc. † 1567., v. Dogiel V. 250. nro. CXL.

⁶⁷⁾ Christophorus Dux Megapolitanus, ab Archiepiscopo Wilhelm Coadjutor assumptus 1553., Archiepiscopatum non est adeptus, sed inde ab a. 1563—1569. in Polonia captivus detenus, postea vixit Raceburgi, ubi Administrator Episcopatus factus est.

⁶⁸⁾ Neque apud livonicos, neque ruthenicos scriptores quidquam legimus de episcopo ruthenico eo tempore Dorpati constituto; tamen memoratur talis apud Karamsinum, vers. germ. VIII. 283.

beret simul infensum, et naves mercatorum Narvam, qui portus et fluvius est Livoniae, unde in Moscoviam merces devehi possunt, cursum libere tenerent, Magnum, Holsatiae Ducem, data ei fratris filia in uxorem, quem fratrem suum Moscus veneno sustulerat, Regem Livoniae nomine tenus creat. Livones autem, qui rejecta vera religione, et catholicis interfectis, aut ejectis, putarant sese in libertatem assertuisse, dirissimis cruciatibus et caedibus affecit, turmas eorum in Moscoviam captivas subinde adductas aut glebae in remotissimis regionibus prope Tartaros addixit, aut Casani et Moscuae esse sub gravissimo vectigali vel denique in teterrimo carcere asservari jussit, quorum multi postea, eo concedente, stitere se nobis, et ad pedes procubuere, cum^v) Ve Bnis nomine cum Stephano Poloniae Regi confecta pace, illorum libertatem procuraremus⁶⁹⁾, Divina Sapientia operante, ut ea in ore unius denique Sanctae Sedi Apostolicae studium expeterent, quam antea perdite contemptam abjecerant.

Occasio et initia restitutae in Livoniam Catholicae Religionis.

Postea Sigismundo Poloniae Rege demortuo, cum inter ordines diu de creando Rege fuisset laboratum, et Caroli Noni Galliae Regis frater Henricus coronam illam esset assecutus, nec ita multo post eo in Gallias ob fratris mortem ad alterum illud Regnum sibi debitum discedente, Maximilianus Caesar Rex quidem Poloniae a multis declaratus, sed Deo aliud providente, neque Regnum adeptus est, ac paucos post menses obiit. Quo tempore (illo tamen adhuc superstite) Stephanus Batoreus, Transilvaniae Princeps, evocatus, et creatus est Rex, ac Regni accepit insignia. Hic^w) cum ad Principes Christianos, praecipue vero ad finitos de colenda amicitia, tum vero ad Moscum quoque misit de pace legatos, quam si non assequerentur, inducias certe current, quibus quidquid inter utriusque Imperium litis intercidisset, ex aequo et bono decideretur. Interim ipse Gedanenses, obedientiam detrectantes, ad debitum Poloniae Regibus obsequium postea adigere curavit. Quae dum fiunt ac Moscus Legatis Regiis^x) in-ducias eas litteris quibusdam traditis videretur non abnuisse, implicito Gedanensibus tumultibus Rege, Livoniam adoritur, arcesque aliquas de Polonis capit^y). Ea belli cum Mosco inchoandi, ac denique perficiendi, Livoniaeque, quam ille habebat in manibus, recuperandae fuit occasio. Qua de tota re satis multa scripsi in secundo de Moscova

^v) ut. ^w) Hinc. ^x) Regis.

⁶⁹⁾ De illis ipsis Livonibus, Moscuae exilibus, auctor noster agit quoque in sua *de Moscovia* diatribe (in Opp. ed. Col. 1695. fol. p. 16., in libello *Respublica Moscoviae et Urbes* p. 218., apud *Starczewsky* II. 295. Habes quoque illum locum in *Gadebusch Livil. Bibl.* II. 567.) Quomodo de eorum sorte in conventu pacis stabilidae causa Kiverovahorcae habitu agitatum sit, v. in Actis illius conventus, pluries typis expressis, et cf. *Kelchii Liefl. Historia* p. 572. 573.

⁷⁰⁾ A. 1577. inde a m. Junio, v. *Gadebusch Livil. Jahrb.* H. I. p. 186.

libro, et in conventus illius actis, in quo Livoniae restitutio, Rege strenue in proposito Livoniae recuperandae perstante, nomine B. V. procurata est. Quare ex iisdem actis, quae huic quoque commentario erunt adjuncta (ne hic longius vager), lux haurire liquidor poterit, si quando id fuerit opus. Rebus autem his ad Sapolsciae Janum^{*)} in Moscovia compositis, Joannes Zamoiseius, supremus Poloniae Regni Cancellarius, et Regni exercituum Imperator^{†1)}, cum exitum rei constanti animo in castris ad obsessam Plescoviam, profundissima et horridissima hieme expectasset, exercitum in Livoniam sub signis duxit Derpatique, amandatis ex compacto in Moscoviam Vladica, ceterisque Ruthenis, primus catholicam religionem restituit. Quod ut rite fieret, facultatem, quam ea in Provincia, ceterisque finitimis, ubi non sunt Episcopi Catholici, V. B^{do} mihi concesserat, petiit, sacerdotemque suum insigni illo in templo rite reliquit^{†2)}. Stephanus interea Rex Vilna, quo se ab exercitu contulerat, ut explicandis aliis Regni rebus, ac si pax non successisset, novis copiis comparandis operam daret, in Livoniam venit, atque uti recuperato antea de manibus Mosci magno Poloniae Dueatu^{†3)}, ea in civitate Collegium Societatis nostrae instituerat^{†4)}, quod in oppugnatione voverat, sic Rigae ut Imperii propagationem et labores suos (quod Vestrae Beatitudini non semel pollicitus fuerat) ad veram religionem propagandam adhiberet, duo templo ex Rigensium manibus, qui in profundo jam dudum Luteranismo demersi erant, extorquet, quorum alterum Societati nostrae, quod D. Jacobo sacrum est, alterum D. Magdalena ad exercenda Parochi munia attribuit^{†5)}. Huic autem aedi proximum erat monasterium^{†6)}, in quo tres perantiquae superstites adhuc erant sanctimoniales, quae vota sua servaverant intrepide vigintique iam annos sacerdotem nullum habuerant, a sponso tantum suo Christo Dno^{***)} mirabili providentia pendentes, earum minor natu septuaginta quinque, reli-

scripsi sibi O. scripsi sibi et supinsh imp. iste va. sinovi. I. abasit a mico. tu. sit anna. simix. see. ipso. iste. eua. audios. nibending. empariso. ingeff. osim. D. vobani

^{*)} leg. Jamum. ^{***)} forte leg.: Dei.

^{†1)} nat. 1542. † 3. Jul. 1605. Vir optime de republica Polonica meritus.

^{†2)} Pacta Sapolsciae die 15. Jan. 1582. inter Polonus et Russos pace, Zamoiscius intravit Dorpatum die 24. Febr. a. 1582., ibique aedi Stae Mariae praefecit praepositum Thomam Lamkowitz, relieta Lutheranis aede Sti Johannis, et subinde ceteras Livoniae arces atque oppida occupavit, in quibus etiamtum praesidia ruthenica erant. V. Gadebusch l. c. p. 244. sqq.

^{†3)} Scribi debebat: magno Lithuaniae Ducatu.

^{†4)} Primi qui ex Jesuitarum ordine in Livoniam venere, erant duodecim illi, qui duce suo provinciali Campano a. 1583. 7. Mart. urbem Rigam intravere (v. Hiaernii Chron. in Monum. Liv. ant. I 541., Bungii Archiv I. 555.); sed quando Dorpati sedem fixerint, non constat ex auctoribus Livonicis, fortasse statim post adventum Zamoisci (v. supra not. 71.). Item nil constat de decreto regis Stephani super instituendo Dorpati collegio. Cf. Gadebusch l. c. p. 519—524., Kelch p. 587. sq.

^{†5)} V. decreta regia de 7. Apr. 1582. in Dogiel cod. dipl. V. 513. nro. CLXXXV.

^{†6)} Monasterium Stae Mariae Magdalena, fundatum ab Archiepiscopo Alberto a. 1257. Cf. (Erdmanni Tolgsdorff) Historia monasterii virginum ordinis S. Benedicti Riga, a tempore orientis haereseos Lutheranae conservati usque dum patribus societatis Jesu traderetur. Ingolstadii 1615. 4., germanice versa: Historische Erzählung von dem Jungfräukloster S. Benedictördens zu Rigen etc. durch Conradum Vetter, der Societet Jesu Priester. Ingolstatt MDCXIV. 4., extracta in N. nord. Misc. XI. XII. 482—488., latine reimpressa in Bungii Archiv V. 75—93., Livl. Schriftst. Lex. IV. 580. 450., Mittheil. IV. 436—438.

quae duae una nonaginta, altera centum annos expleverat, omnes nobiles, hisce autem confirmatis Abbatissam (quae ex familia Tepeliorum erat) auctoritate Bⁿis V. praefeci, quaque ratione nobiles aliquae virgines hereticae, quae apud se manere solent, juvari possent, indicatum est. Et Rigenses annum ante Regi promiserant obedientiam certis conditionibus sese praestituros⁷⁷⁾, sedulo id negocium conficiente Demetrio Solicovio⁷⁸⁾, viro optimo, qui postea designatus a Rege Leopoliensis Archiepiscopus, a Vestra Beatiitudine creatus est, ac confirmatus. Nec tamen Rigenses (id quod sperarant) satis sibi caverant, quominus Catholica rursus religio in eam Civitatem restitueretur. Sed Rex sapienter neque ea de re multum scribi voluerat, ne nova illorum consilia obedientiam (sicut postea detulere) interturbarent, nec adeo alio quam Lituaniō signo formulam earum conditionum, quae post hunc commentarium erunt adscriptae, existimavit esse tunc obsignandam; cum ejusmodi acta utriusque Poloniae et Lituaniae signo muniri sint solita. Itaque quascumque poterant rationes frustra caussatis, ac denique, ubi vident obfirmatum Regis animum pietate niti, rogantibus, ne saltem homines de Societate Jesu ea in Civitate statueret, de quibus mira ex suis ministris audiverant, verentibus scilicet, ne Romani venirent, ac tollerent eam gentem et loca, perstitit tamen Rex; ac jactis iis fundamentis Proregem Catholicum Georgium Radzivilium⁷⁹⁾, Vilnensem Episcopum designatum, Livoniae praefecit, addito ei tanquam primario Consiliario, et administratore earum rerum peritissimo Demetrio Solicovio, de quo diximus. Polonus autem fidos Praefectos in Praesidiis locat: cum Rigensibus de munitionibus illius civitatis amplificandis, deque porta, quam illi obstruxerant, patefacienda statuit, ut ex Arce Regia liber pateat in Civitatem aditus: reliqua explicat: Legatos in Sveciam mittit, per quos Narvam arcem ab eo Rege de Mosco captam petat, justis conditionibus oblatas, ut Moscum a tentanda Livonia avertat, qui denique re infecta rediere. Osilia vero insula Daniae Regi, ceterisque quibusdam arcibus ejus fratri, qui eas proximis annis

⁷⁷⁾ Cf. *Monum. Liv. ant. T. IV. p. CXVI.*, *Gadebusch II. I. p. 226—231.*, *Dogiel V. 306.* nro. *CLXXX. CLXXXIV.*

⁷⁸⁾ Joannes Demetrius Solikowski, Archiepiscopus Leopoliensis, vir illustris; legatus Sigismundi Augusti Regis ad Reges Daniae, Sveciae: statuum Poloniae ad Regem Galliae, et Stephani ad Sextum V. Pont. Max.; a. 1599. Commissarius Sigismundi III. Regis Poloniae in Livonia. † a. 1603 [17. Jun., Leopoli]. Opera ejus ad res Livonicas pertinentia, typis edita, sunt: *Commentarius brevis rerum Polonicarum a morte Sigismundi Augusti. Dantisci 1647.* — *Ad Livones amica et paterna paraenesis. Zamosci 1399.* [Prodiit: *Rigae 1399. 4. — Samosci 1600. 4 maj.*] — *Prussia ducalis — Juris Livonici libri duo et Testamentum Solicovii. Mognuntiae 1606. P.* — Plura de eo ejusque scriptis vide apud *Gadebuschium in Livl. Bibl. III 160—185.* et in *Livl. Schriftst. Lex. IV. 227—228.* Rex Stephanus eum designarat primum episcopum Vendensem, sed mox eum evexit ad Archiepiscopatum Leopoliensem, v. *Gadebusch Livl. Jahrb. II. I. S. 263.*

⁷⁹⁾ Georgius Radziwill, Dux in Nieswicz et Olyka, Episcopus Vilnensis ab a. 1579; Cardinalis S. R. E. tituli S. Sixti; Episcopus Cracoviensis a. 1591. † 1600. Romae, tumulatus in Ecclesia del Giesu. P. — Rex Stephanus eum suum in Livonia locumtenentem designavit, cum Rigae esset a. 1582. inde a die 12. Martii usque ad diem 2. Maji, v. *Gadebusch Jahrb. II. I. 246. 260.* et *Instructionem infra additam.*

interceperat, ac Biringo⁸⁰⁾ nescio cui, qui postea interfactus est, alia quadam relictis, ne novi tumultus, rebus nondum bene constitutis, excitarentur, per Livoniam misit Lustratores (quos vocant revisores, et Commissarios), qui vero^y ejus Provinciae statum ad Comitia Varsoviae indicta referrent⁸¹⁾: Vendam autem civitatem atque proventus futuro novo Livoniae Episcopatu⁸²⁾ addicit, in qua et primus olim Episcopus ejus Provinciae⁸³⁾, ac deinceps Teutonicus ordo tanquam in centro, ut diximus, sedes suas locarant. Mihi quoque jam Moscos ad Vestram Beatitudinem deducenti, ac prius Rigam ex Moscovia venienti⁸⁴⁾, pollicetur⁸⁵⁾, se perhonorifica legatione obedientiam Livoniae V^e Bni delaturum, deinde alia plura mandat, utque cum Livonica nobilitate de earum rerum, quas petebant, restitutione agam, eo animo concedit, ut intelligent, quanto beneficio a Sede Apostolica afficiantur, cuius auctoritatem multos ante annos exploserant. Ea res varias occasiones veritatis aperienda praebuit, ut quam in Regnis eventidis curam in haereticis re ipsa vidissent, aliam in Apostolica Sede agnoscerent, cuius quidem consilio et ductu stetissent antea, et florissent, atque ut ad pristinum statum redirent, nulli operae parcebatur. Ceterum et submissi in Livoniam a Martino Chromero, Varmensi Episcopo, nonnulli Sacerdotes e suo illo Brunsbergensi seminario, quod Hosius Cardinalis, cuius memoria in benedictione est, Societatis nostrae Collegio^{z)} instituendum dederat, qui rem juvant⁸⁶⁾. Et ipse Solcovius plurimum operae circumquaque pietati restituendae, per interpretes loquens, adhibuit. Atque hoc anno ii denique ex nostris, et Collegio Germanico eo ire jussi, quos ut in Poloniā adducerem, V^a mihi Beat^{do} mandarāt⁸⁷⁾. Cum autem exeunte anno superiore comitia Varsaviae

y) rerum. z) Collegia.

⁸⁰⁾ Joannes Büring, vir bene de re Polonica in Livonia meritus, natus Helmstadii, administratoris Livoniae Jo. Chodkiewiczi secretarius, arcem Treidensem 1576. 6. Nov. expugnavit et praesidio firmavit, 1578. m. Dec. ademit Russis arcem Vendensem nocturno tempore et subinde Ducis Magni asseclis arcem Burtneck, Lemsal, Ruyen et Nitaū, 1581. arcem Pürkel; a. 1583. lites habuit cum nonnullis copiarum ducibus polonicis, quas soprope studuit regis locumtenens, Cardinalis Radziwill; jam a. 1574. praedium Koltzen in districtu Rigensi (quod ab eo letticum nomen Bihrin muischa habet) emtionis pretio a Thoma ab Emden acquisiverat, idque filii ejus Joanni et Friderico a. 1593. a rege Sigismundo III. confirmatum est. Cf. Gadebusch l. c. p. 179, 196, 254, 317., Hagemeister Lvl. Gütergesch. I. 106, Kelch p. 386.

⁸¹⁾ Cf. Gadebusch l. c. p. 310—316.

⁸²⁾ Cf. Dogiel V. 517. nro. CLXXXVI, Gadebusch von den Bischöfen zu Wenden u. in Livland. in ej. Versuchen in d. livl. Geschichtskunde u. Rechtsgelehrsamkeit (Riga 1779. 8.) I. 1—86.

⁸³⁾ Nunquam episcopi Livonienses et archiepiscopi Rigenses sedem habuere in urbe Venda; nec Meinhardus, primus Livonum episcopus, eam nosse videtur.

⁸⁴⁾ En ipsius auctoris nostri testimonium, ipsum urbem Rigam adiisse et in illa fuisse, fortasse eodem tempore, quo rex Stephanus ibidem versabatur (inde a d. 12. Martii usque ad d. 2. Maii a. 1582, v. Hiaern in Mon. I. 557.); sed haud quidquam certi de ea re apud scriptores nostros invenimus.

⁸⁵⁾ Sc. rex Stephanus.

⁸⁶⁾ Cf. Revisionem ecclesiarum livonicarum de a. 1583, in Turgenevii histor. Russiae monum. I. 398. et Bungii Archiv I. 335.

⁸⁷⁾ Cf. supra not. 74.

Rex habuisse, in quibus a Mosci Legatis inita pax, resque inter eos compositae firmatae sunt jurejurando, Livonicas quoque res roborare conatus est, ut ratio Provinciae administrandae constaret: Itaque primo . . . Abbatem Tremieznensem ⁸⁸⁾ nominat Vendensem Episcopum, deque eo ad V. Bnem retulit, deinde reliqua disposuit. In quibus tamen id incommodo cecidit, quod Livonibus urgentibus liberam Augustanae confessionis professionem, haec illis permissa, nec deinde prohibitum est, quominus inter ceteras Livoniae constitutiones Cracoviae a Typographis federetur, quod sane scandalum auxit; sic tantae victoriae decus nonnihil obscuratum est: cum quas ei civitates et arces divina dextera post tam diuturnum bellum libere concessisset, in quas tanquam in tabulariam rasam (sicut is ipse mihi Rex dicere solebat) unicam ipsam religionem catholicam inseri statuisset, eae civitates et arces (obtrusis aliunde timoribus, ac potissimum, ne si secus fieret, Livones ad Svecum, vel ad Danum accederent) iterum veneno illi patierent, unde Christianae omnis fidei atque pietatis interitus Livoniae non ita pridem acciderat. Nec defuit postea, qui litteras a Rege obtinuit, quibus sibi ex Belgia liceret Derpatum, eumque Livoniae ultimum tractum, novam coloniam aliquam dducere: quas etsi ea lege Rex concessit, ut tantum adducantur, qui Romanam catholicam religionem profiteantur, ac propterea iis scholas liceat habere, cognitum est tamen, ore quoque tenus eidem fuisse permisum, ut etiam possent adduci, qui Augustanam confusionem (sic) profiterentur, quo velo Anabaptismus, aliaeque omnes haereses continguntur, ac dubium non est, quin ex Hollandia, in qua viget Anabaptismus et Calvinismus et unde ad Livoniae oram naves frequenter appellunt, eadem merces pestilentes inferantur, nisi celerime (ut fieri certe potest) occurratur. Quod nisi fiet, quanto impedimento propagandae fidei orthodoxae, divinoque praesidio retinendo, futurum sit, nemo, qui in Christum Dei vivi filium sincerissime credit, est, qui non intelligat. Et optimus alioquin Rex ipse mihi indolenti et Regium promissum ab eo iteratum, cum in Moscoviam de pace proficiserer, ad ejus memoriam revocanti, ingenui confessus est, se Masouitas subditos suos tentasse, si quos oblato ubere Livoniae solo, illuc potuisset immittere, sed neminem (licet Masovia sterilis sit ac satis indiga) eam voluisse conditionem accipere; itaque coactum, ut ne prorsus ea regio sylvesceret, quae profectis Moscis nuda pene incolis omnibus remanserat, eam rationem inivisse non sine spe, ut quando nostri ibi futuri fuissent, religionem catholicam non solum catholicos conservatuos, verum etiam eamdem haereticos amplexuros. Quod etsi speciem aliquam veri posset habere, nisi illis scholae et templa permetterentur, difficillimum tamen futurum est, quin modicum

⁸⁸⁾ Alexander Mielinski, nominatus Vendensis Episcopus. V. in *Cod. dipl. Dogielis T. V.* p. 317. Electionem Episcopatus Vendensis: „Stephanus D. G. Rex Poloniae . . . Supplicatum nobis fuisse nomine Reverendi in Christo Patris, Domini Alexandri Mielinski, nominati Episcopi Vendensis et Abbatis Trzemesnensis . . . Successit ei in episcopatu Vendensi Andreas Patricius Nidecki † 1587. — Ille nominatus episcopus Vendensis nunquam suum episcopatum adiit, nec in Livoniam venit, et jam a. 1583. Patricius Vendae fuit. Cf. *Gadebusch Versuche I. 10.*

fermentum totam massam corrumpat aut Deus unicum corpus a duabus, tribusque^{a)} animabus diu velit administrari. Quibus rationibus auditis, plenus bonorum desideriorum Rex petenti mihi publicas litteras⁸⁹⁾ statim concessit, de Colonia vere Catholica (et optimis quidem propositis conditionibus) deducenda, de qua et ad Bnem V. et ad Illum Bavariae Ducem non semel scripsi diligenter⁹⁰⁾: tum addidit alteras, quibus serio Derpatensi Praefecto, viro catholico, jussit, ne hereticos permitteret amplissimum templum usurpare, cuius fornix a Moscis faedatus haud difficile poterit instaurari, cum id omnium, quae in Germania sunt, pulchritudinem, et amplitudinem aequare dicatur. De Collegio quoque altero societatis nostrarae Derpati instituendo, praediisque ad plures operarios sustentandos diligenter constituit, atque adeo isthuc scripsit. Interea Ve Bnis nomine Provincialem, qui Poloniae nostra collegia moderatur, ursi, ut diligentissime (quod fecit) in Livoniam properaret, Derpatoque priusquam virus aliquod uberior instilletur, prospiceret, ac Seminario Vilnensi inchoato delectum habere ex Livonia quoque inciperet. Vendensi autem Episcopo designato ea proposui⁹¹⁾, ad quae probus ac pius vir statim se accinxit, ut aliud restare non videatur, quam ut magno animo optima Regis mens subinde animetur, opusque ipsum sequentibus rationibus sedulo in rem conferatur.

Ratio submovendarum difficultatum, et non solum restituendae in Livonia, verum etiam propagandae in finitimis provinciis ad Septentrionem ac Exorientem solem Catholicae Fidei.

Qui statum, in quo ante annum erat Livonia, recte perpenderit, quove in statu nunc sit, cogitet, non solum habebit, unde gracias agat ex animo Divinae Majestati, verum etiam unde ingentem concipiat spem, fore, ut qui Deus ista incepit, idem si diligentes cooperatores, et emulatores fuerimus, eadem perficiat, et augeat. Nam certe multum est, esse jam Episcopum Catholicum ei Provinciae attributum, in quam prius nemini catholico licebat pedem inferre, collegia inchoata, Seminarium Vilnae Ve Bnis sumptibus inceptum, patere aditum ad eos; Regem esse catholicum (ut vero est) qui que licet Polonica Respublica variis incommodis, et heresibus ac finibus implicita, distractaque sit, serio tamen cupit negocium promoveri divinum: superesse item novennium induciarum cum Mosco, arcesque ipsas (quidquid compositis et rebus adversi accideret) esse in potestate Regni, una cum Riga, nobili Septentrionis emporio, atque Derpato, cu-

^{a)} tribusye.

⁸⁹⁾ Cf. Dogiel V. 507. nro. CLXXXIII.

⁹⁰⁾ Frustra in Possevini opp. ejus generis epistolas quaequivimus.

⁹¹⁾ V. litteras sequentes.

ius ager et oppida non mediocres Germaniae Ducatus aequat; Praefectos quoque aliquos catholicos una cum Prorege in Praesidiis esse dispositos, jamque sacerdotes liberius posse discurrere, ac quidquid colonorum Episcopatu*i* illi additum^{b)} est, hosce facillimo negocio fide catholica imbui posse, tum quod pauperes facilius evangelisentur, tum quoniam ii pietatis antiquae semina firmius, quam nobiles, retinuerunt, qui bonis Ecclesiae ditati, licenterque in suis potionibus, et aliis vitiis versati, duriores sunt ad Divinae lucis radios excipiendo*s*. At vero qui simul cogitaverit, eas esse Dei providentiae vias, atque consilium, ut si catholicae fidei insinuandae tam insignes occasiones haud serio non amplectamur, abeat ille alio, et convertatur ad gentes, atque ad Insulas longe, certe in opus coeptum omnibus artibus ac nervis incumbendum esse iudicabit. Et intercidere enim possunt mors Regis, qui unus denique homo est, atque nova Mosci in Livoniam invasio, novo interregno Rempublicam fatigante, et cessaturis ex alterutrius morte compositis induciis; neque heretici dormiunt: nec politicis deessent rationes, si quid tumultus religionis caussa, aut quaesita ab hereticis occasione oriretur, quin catholicae religionis explosioni conniverent. Exemplum autem Angliae insulae versatur ob oculos, quae eum rediisset ad Catholicam fidem, statim etiam demortua Maria Regina ad vomitum rediit, quae neque potentissimi Hispaniarum Regis nixa praesidio, nec tot aliarum rerum adminiculis fulta, revocari potuit eo, unde deciderat. Scilicet id verissimum est, si major sacerdotum numerus (licet haud anglorum) illico missus eo fuisse*t*, qui vel per interpretes (ut in Indiis fit) rem Christi propagassent; si item ingens Anglicorum libellorum catholicorum, et ad hereses illas confutandas aptorum copia circumquaque diligentius disseminata statim fuisse*t*: si quoque nobilium et aliorum adolescentum bona manus (ne dicam aliquot centena), deprompta ex thesauris liberaliter pro fide Christi pecunia, inde statim fuisse*t* educta, qui tamquam obsides Ecclesiae fuissent diligenter exculti, certe res, adhibitis postea mediis aliis, melius processissent, atque ii vel in officio parentes continuissent, vel conatibus haereticorum diutius obsistentes, fecissent, ut Deus quaerentibus regnum Dei reliqua addidisset. At explosa religione sero postea sapere, classibusque et militibus fidem catholicam potius quam primariis illis et Christi propriis rationibus voluisse invehere, ipse postea exitus, quantum illa profuere, plerunque conprobavit. Itaque id primo tanquam aheneus murus statuendum est, ut animo obfirmatissimo hoc Livoniae negocium moveatur, nec aliis hominibus, quorum non deerit numerus, neque tantulae pecuniae, si qua fuerit opus, neque laboribus (et hisce quidem non adeo magnis) ulla ratione parcatur. Et ego, Pater Sanctissime, pro certissimo habeo, Bnem V., nisi ista universalis Ecclesiae mole premeretur, ipsamet (sicuti et aliquando mihi dixit ad Svetiae Regem ituro) pro tantae Provinciae salute se inviam daturam, ac sanguinem, si opporteret, profusuram. At quando abest corpore, obsecro per Christi sanctissima vulnera, ut quae presens spiritu Va Stas hoc de negocio

^{b)} addictum.

mandaverit, id diligentissime fiat; neque enim certe peribit tempus, quod in eam Provinciam impendetur, quae praecipuo quodam jure pertinet ad Apostolicam Sedem et curam. Dum autem nos alii, tanquam velites, primos impetus excipimus, quaeso ne brachia isthic Mosis deponantur, sed ad Christum Dominum sublata, reliquos quoque incitent efficacissime, ut Amalech ille Livonicus, qui sedem fixit in Aquilone, fundatur, et pereat. Nam quid denique, bone Jesu, pusillus ibi grex adversus tot pestes et Satanam dentibus frendentem effecerit, nisi nobis ab alto isthic fuerint sine intermissione procurata subsidia. Est vero Livoniae recens (sed et novus) Episcopus, vir sane probus, et frugi, quem V^{ae} B^{nis} judicium esto quātōpere expediet, si ad extremas catholici orbis partes pene relegatum per homines ac per litteras animet et invusat identidem, ut vero alacrius spartam, quam nactus est, ornēt, atque ut sit ad rem divinam attentior de eo non tantum illa quae generalia sunt, quaeque officii caussa isthinc perscribi solent, verum etiam particularia de animarum ad catholicam religionem accessione deque ejusmodi aliis, quae sunt ipsius Apostolici munera potissima, amanter interdum querantur, sic vinculo charitatis, quod difficile rumpitur, jungetur iterum Livonia cum sancta Apostolica Sede, commodeque hac ratione id fiet, quod si aliis rationibus tentaretur, difficillime ad exitum ac ne forsan quidem ad progressum ullum perduci posset. Et hoc quoque spectat, ut major ei aliqua, saltem ad tempus, facultas concedatur, quam ordinaria, qua tot haeresibus et sacrilegiis inquinatos expiet, veramque religionem in tam incultam et remotam isthinc vineam, ne dicam sylvam, facilius inducat: quae ut episcopus effici curet, nulla exacta pecunia (ne blasphemetur ministerium nostrum), tum ex paternis V^e St^{is} monitis, tum de illius probitate sperandum est. Illud autem serio praecavendum videretur, ne seminariū, quod Rutenis, Moscis, Livonibus excolendis Vilnae, Bⁿe V. sumptuī suppeditante, jam inchoatur, ipsis nutet initiis, verum firmiter aut certa ad plures annos pensione, aut coemptione bonorum in perpetuum aliqua: quae ut non erit iis in locis maxima, sic verendum non est, quin una cum Regni Optimatibus vehementer promoveat Regem, ut tantumdem eidem operi addicat, quod cum simili in re jam simus in Transylvania consecuti, majorem pandet fenestram ad vastas illas Provincias convertendas. Ut vero tanti hoc non esset, quāti revera est, certe expedit, ut novis filiis, et quidem (nisi V^{am} St^{em} haberent) omni praesidio destitutis, eam legare velit haereditatem, quae caduca non sit, aut statim evanescat. Inde enim abiret in contemptum Ecclesia et de nobis illico diceretur: hi coēperunt^{c)} aedificare^{d)}, sed non potuerunt consummare⁹²⁾. In alumnos autem, qui inde ablegandi essent, illud quadraret: turpius ejicitur, quam non admittitur hospes⁹³⁾. Ceterum de hoc Provinciarum tractu, qui mihi jam, quasi Zodiacus factus est septentrionalis, possum V^e Bⁿi sanctissime testari,

c) inceperunt. d) aedificium.

92) *Luc. XIV. 50.* 93) *Ovid. Trist. l. V. eleg. VI. v. 15.*

nullum ad Caesarem, ad Reges, ad Episcopos, promovendos, ad quos V^a me S^{tas} misit, stimulum, hoc toto sexennio ^{e)} ⁹⁴), quo in itineribus versor, expertum fuisse vel magis acutum, vel suaviorem, quam quod his artibus gloriam unam ipsius Dei isthinc spectari jam cernunt, dexteramque charitatis, cuius modus est non habere modum, in hasce Provincias verum S^{ti} Petri denarium non exigi, sed expendi, deque rebellium filiis sic Apostolicam sedem bene mereri, ut tandem et illi in sese convertant corda parentum, ac quidquid Pontificibus quibusdam aliis vere aspersum est maculae, aut calumniae ab haereticis afflictum, facile (ut praesentium rerum aspectus memoriam delet praeteritarum) id aboleatur; Deinceps vero qui pro tempore clavum isthic Ecclesiae tenebunt, tanto exemplo impulsi, audiant, se ex animo plus quam ex atramento vocari multarum gentium Patres, et veros Abrahamos, qui re ipsa mundo dicere pergent: Da mihi animas, cetera tolle tibi ⁹⁵). Jam de sacerdotiis, et bonis Ecclesiasticis, quae interierunt, atque a Regibus et civitatibus in fiscum, a nobilibus autem sunt in patrimonium redacta, quaeque Rex novissime Derpatensi et aliis praesidiis necessario tutandis attribui jussit, dispicendum esse, V^a B. judicabit, quanam ratione catholicorum conscientiae alleventur, Sacerdotibusque in re bene gerenda eximantur scrupuli, ac Livonibus ad redeundum ad cor facilior via sternatur. Neque enim hi facile illa relinquunt, atque hoc unum detinebit in haeresi plurimos; quare et illud ipsum, quod primo ex Svetia reditu meo proposui Bni V., fortassis et nunc in novam isthic consultationem cadet: Num ejusmodi homines tam diuturnis bellis ac liberorum, parentum, bonorum jacturam passi, aliquatenus tolerandi sint et vero concedendum, aut spes danda primariis, qui juvare aliorum velint conversionem, ut tanquam jure patronatus iis fruantur, si quos nominaverint ex suis, qui cooptati in Ecclesiasticum gradum Ecclesiae Catholicae sincere inserviant, certum vero subditorum numerum pro eujusque viribus in Catholicis seu Seminariis, seu pauperum domibus alant. De militum autem praesidiis, cum res dignissima consideratione sit (nam Mosco schismatico et aliis haereticis tanto inhantibus bolo, firma, et magna illa quidem opponenda sunt), videat obseero V^a S^{tas} pro sapientia, quam a Deo consequita est, num aliquid certius, et explicitius sit statuendum. Rex enim (qua^e bona ejus mens est) facile intelliget, id unum a V^a Bne spectari, ut ipse cum suis salvus fiat, et sacrosancta sacramenta non ad judicium, sed digne percipiat, feretque aequo animo amanter admonitus, ut ea lege permittantur ejusmodi bona suis militibus alendis assignari, qui Catholici sint, et saltem, ut catholici fiant, hoc beneficio sperari possit, cum ejus M^{tas} intelligit, eo haec praecaveri, ne inde Satanae regnum firmetur, unde Christi regnum, quae est Ecclesia, vires et praesidium accepit. Interea latius patente religione catholica, sperandum est fore, ut multi sponte, quae ablata sunt, reddant, idque sensim

e) septennio.

⁹⁴) Inde ab a. 1577., cum primum a Gregorio XIII. nuntius ablegatus esset in Sueciam ad Regem Johannem.
⁹⁵) — ?

fiat, quod alioquin nunquam fieret, si initio temporalibus bonis isthinc inhiari, non divinam gloriam spectari suspicarentur. De Colonia vero Catholicorum, quam supra attigi, deducenda, vigilantissima opera danda est, ne illud hoc quoque tempore dici possit: dum Romae consulitur, Saguntum capitul⁹⁶⁾. Nam quo tempore haec scribo, haeretici circumquaque volitant, ut suos eam in Provinciam invehant, quamobrem et quinam, et quomodo, ac per quos deducendi sint Catholicci, etiam atque etiam potius opere, quam multa consultatione dispiciendum est. Haec vero satis liquido, priusquam irem in Transsylvania, Illmo D. Cardinali Comensi⁹⁷⁾ aperui. Sed et nunc¹⁾ liquidius, ac reverentissime V^e Bⁱ propono. Videri nempe, ut litterae ad Ill^{um} Bavariae Ducem scribantur, quas eo profecturus id pondus habuisse comperiam, quod apud optimum Principem habituras confido. In Vallibus autem, quae in Italiae finibus sunt, et ad quas puto (si per alia negotia licuerit) excurrere, coloni fabri, opificesque, qui in varias Provincias solent commigrare, delectus aliquis Catholicorum habeatur, bibliopolaque omnino aliquis sive potius typographus, et medicus item, ac si fieri poterit, mercatores quidam Itali quoque evocentur: his Itali sacerdotes, vel qui cum Germanica Italicam noscerent linguam, deducendis attribuantur. Quae sane res haud magna erit, si cogitetur, multa militum millia solere cogi, quae maria pernavigant²⁾, remotissimasque Provincias petunt; Mercatores autem ob exiguum quaestum circumcurrere mundum; in hoc vero negocium fructuosius et certius pecuniam expendi, quam in illa pleraque alia, quae a Sede Apostolica (optimo licet consilio) tentata non semper exitum habuere. Praeter hos, alii saltem viginti Livoniae necessarii erunt sacerdotes, quorum pars novae Episcopi Metropolitanae Ecclesiae ordinandae, cultuque rite administrando adsit. Qui si optimi initio sint, nec de faece colligantur, ad illud exemplar reliquae formabuntur Ecclesiae, alioquin certissimum est fore, ut quidquid superstruatur paulo post corruat. Porro ex iis viginti sacerdotibus seminarii Vilnensis curae duo poterunt adhiberi, quam et discant, et docti³⁾ alios doceant. Reliqui per Livoniam et Curlandiam discurrant, finitimas quoque Provincias tentent. Qui omnes sive ex Germanico Collegio, sive aliunde petantur, uno mense animari et institui poterunt, ut alacri et prudenti pectore sanctissimum istud negocium suscipient. Interea non celabo V^e Bⁱ desiderium meum non novum, quod augetur in dies. Id vero est: Elbingam civitatem in Prussia Angli plerique incolunt, qui cum sua gente trans maria commercia continenter exercent. Rigam item atque ad universam Livoniae oram, alii ex ea Insulae quotannis appellunt. Item per glacialem Oceanum singulis annis ad D. Petri festum in superiorem Moscoviae oram navingant qua-

¹⁾ add. eadem. ²⁾ praeternavigant. ³⁾ edocti.

⁹⁶⁾ — ? Cf. *Liv. l. XXI. c. 7.*: „Dum ea Romani parant consultantque, jam Saguntum summa vi oppugnabatur.“

⁹⁷⁾ Cardinalis di Como, Secretarius Status Gregorii XIII. Pont. Max. Litterae ejus ad Nuntium in Polonia, Caligarium, et Instructio Possevino data, typis editae per *Sebast. Ciampi* in *Bibliographia critica T. I. p. 157 sq. P.*

tuor Anglicanae naves, quibus sua devehunt, Moscoviticasⁱ⁾ autem pelles, aliaque exportant. Praetensa item illa Angliae Regina non cessat, quo astu, qua calliditate Poloniae Regis amicitiam colere, idemque agere cum Sveciae Rege, ad quem frequenter internuncios mittit. Et quod per suos nequit, per alias quoque venenum illud suum in aulas quasque (ut solet) instillat. Interim ista agunt radices altius, quam omnino par esset. Quamobrem cogitet oro St^{as} V., num appetat tempus, ut maturiores aliquos ex Anglicis Seminariis, quae Romae ac Rhemis sunt, in has quoque palestras immitti incipient. Nam et iisdem in civitatibus, quas dixi, versari cum aliquo fructu poterunt et Vilnense forsan Seminarium ductu nostrorum regere, atque (ut modestis moribus sunt praediti) neque incommoda, quod alii quidam faciunt, exhorrebunt, ac fructus, et^{k)} non in Anglia sola ferent, et sanguinis pro Christo fundendi erunt boni Magistri, cum profecto Divina sapientia tantis initii statuendis sanguinem martyrum exposcat, sine quo non fit expiatio. Taceo, quantum distributi per Septentrionalium Principum aulas optimi aliqui ejus gentis juvenes, exemplo ipso pietatis aut antidotum falsis exploratorum rumoribus adhibebunt, aut suis auxilia comparabunt, vel denique permoverebunt Regum animos, ut superstite vel demortua muliere illa, divinus denique in Angliam cultus et plurimorum precibus, et forsan aliis rationibus restituiri possit. Quod si etiam quidam e jusmodi ex Hispaniis essent evocandi, aut ex iis qui pensione V^e St^{is} isthie contenti, possent alibi esse Christianae Reipublicae utiliores, si in hasce Provincias amandarentur. Sanctum esset operaे praetium, Vreq. Bni plenius gaudium in terris, sicut et in coelis splendidiores conflarent coronas.

Ad ipsam typographiam quod attinet, sive ea statuenda Vilnae sit, sive Cracoviae, ut hinc tum in Hungariam, et Transilvanię, tum in Lituanię, Russiam, Livonię, atque Moscoviam et ad frequentes Poloniae Regni^{l)} nundinas variis variis linguis libri edantur, si vel dono vel mutuo a B^e Va tanta summa assignetur, qua opus omnium utilissimum et pernecessarium excitetur, nullis tormentis, aut quantumvis ingenti alio apparatu citius Septentrio, atque oriens expugnari incipiet. Nam etsi Cracoviae typographi quidam sunt, ii tamen vel haeretici sunt, qui omnia complent maledictis, atque hi sunt diligentissimi; vel tam impotentes, et fere natura inertes, ut annus sit, antequam exprimi ex eorum manibus libellus aliquis possit. At vero Agrippina Colonia, Venetiis, vel ex Galliis librorum subvectiones tam caro practio constant, praeter fluminum aliaque pericula, ut mille aureis emi nequeat, quod trecentis alioquin emeretur. Et inde fit, ut deterriti plerique nec bonos adhibeant libros, neque hosce disseminent, dum interea vix quisquam sit paullo ditior apud Haereticos, quin Satana instigante audeat typos conquirere, et libros inde quaquaversum emittere. Accedit, quod ut latini, Polonique libri Cracoviae ederentur, aliis tamen idiomatibus, et characteribus ut id fieret, necesse est, si velimus salvam Christi Rempublicam, totque V^e Bnis conatus

ⁱ⁾ Moscovitas. ^{k)} etiam. ^{l)} Regis.

incrementa sumere maxima. Ac divinitus quidem factum est, ut etiam Pontifícia pecunia paene omnium linguarum typi, V^a Bⁿe mandante, isthic parati jam sint: ex quibus quas vocant matres, staneos plurimos typos educere in promptu est, tum ob Rutenos, Moscos, Valachos, et Bulgaros, totamque Mysiam, et alias ^{m)} finitimas regiones, tum ob alias nationes: Quodcum hactenus non fuerit procuratum, ipse in Moscovia vidi, nullum commodum ex Florentina Synodo ad eos manasse, cum si secus posthac fiet, Mosci, qui necessario ad suarum pellium commercia in Livoniam et Lituaniā veniunt, libellis juvari poterunt, iisdem Rutenis atque aliis, tot ⁿ⁾ jam catholicis adolescentibus literarum studiis ac pietati vacantibus arma suppeditabuntur, quibus Pres, patriosque suos ubique convertant. Et in ipsa Livonia Derpati et Revaliae, Estiaca, Rigae autem et alibi plebs Lituaniā lingua utuntur, in quorum linguam nil unquam a catholicis supina negligentia versum est. Et quae Svetice possunt edi, haec Revaliae, ubi plures Sveci sunt atque Finlandi, magnum momentum haberent, ut illhinc quoque Sveciae Regnum juvaretur, cum etiam Rex ille, ubi aliquot arces de Mosco cepit, in Russiam ^{o)} misit, ut inde sacerdotes, qui Graecorum ritu celebrent, evocentur. Ut nihil haeretici atque schismatici intentatum relinquant, quo in exilium Ecclesiam Orthodoxam extrudant. Ac tamen ad hoc typographiae negocium quattuor millia aureorum satis futura nunc spero, quae si, ubi res creverit, V^a Stas velit, ut in aliud opus pium, aut in ipsa Seminaria convertantur, id sancte caveri, et effici poterit.

Cetera vero quae ad universum hoc negocium pertinent, cum ejusmodi sint, qualia in commentario de Moscovia ad V^{am} B^{nem} scripsi, inde quoque colligi aliquid poterit, quo divinus promoveri cultus in Livonia possit. Deus Bⁿⁱ V^e et diuturnam vitam ad sui nominis gloriam, et operarios inconfusibles det, quibus illa tanta seges, jam alba ad messem, in Christi Domini horreum recondatur.

Bartuae in Hungariae finibus ⁹⁸⁾ tertio Kalendas Aprilis 1583.

^{m)} add.: illas. ⁿ⁾ totque. ^{o)} Russia.

⁹⁸⁾ Forte Bartfa, german. Bartfeld, in comitatu Sarosiensi (Scharosch), in confinio Galiciae sita.

metemur ad suam maxime. Ac divinitus diuinae ratione est ut electio Pontificis post
huius beatissime omnium dignitatum typi, L^a. B^a. habundante, istipius beatissimi iuri sunt ex diuina
debet locutus, siueque plurimos ab eo quocumque in locupletis est, cum de Rutherford
Moseo, Abbatibus et Prelatis totiusque Mavium, et aliis^m plurimis regiones, tum
do sive huiusmodi. Moxo, Venerabilis et Beatus, totiusque Mavium, et aliis^m plurimis regiones, tum
ABBATI TRZEMESNENSI,
NOMINATO EPISCOPO VENDENSI IN LIVONIA,
ANTONIUS POSSEVINUS.

Illmus et Rev^mus Archiepiscopus Gnesnensis⁹⁹, cum heri nocte ad se venissem, multa
mihi de V. D. R^m locutus est, ac cum fratrī filius V^e R^m D. isthinc pervenisset, pe-
tit a me, ut quando alias ob causas ad urbem scriberemus, vellem Ill^{mo} D. Cardinali
Comensi negotium Vendensis Episcopatus commendare, quod quidem perlibenter feci,
adjecit autem, non mediocri consolationi fore V^e D. R^m, si ad eam litteras mitterem,
quibus quantopere mihi (licet minimo) res suae sunt cordi, significarem. Quod officium
eo libentius praestandum mihi existimavi, quod quo primum tempore collocuti sumus,
magnam spem concepi fore, ut sive ea ad Livoniae Episcopatum promoveretur sive ad
alias quascumque Ecclesiae functiones a Divina bonitate vocaretur, id in primis specta-
ret, quod acceptissimum esset Deo, et suae atque aliarum animarum saluti maxime sa-
lutare. At vero quoniam erga Livonicas res, quae mihi non nihil a Summo Pontifice et
a Ser^{mo} Rege mandatae sunt, sic afficior, ut tamen ista et reliqua, ubi aliquid Deus
dignatur vocationi nostrae offerre, non aliena putem a meo instituto, scribam fidenter
V^e D. R., quae magno allevamento ac merito ipsi quidem primum, deinde bonis omni-
bus aedificationi ac denique S^{mi} Dⁿⁱ N^{ri} Pontif^{is} Maxⁱ solatio futura, si ad effectum
(quod facillime poterit effici) deducantur.

Et primum illud est, vocationem ad Episcopatum agnosci tunc a Deo vocante
proficiisci, si ad ea praestanda interius nos animari sentimus, quae tanti muneric ratio
requirit: nempe ut diligamus plus aliis, qui commissi nostrae curae fuerint, Christum
Dominum, atque oves nostras exemplo, doctrina, oratione, sacramentis, verbo Dei,
eleemosynis, ac denique sanguine ipso nostro, si opus sit, pascamus. Quod si ad aliud
respiceremus, quam ad animas cum Deo uniendas, isque potius esset finis noster, ut
ditesceremus, prudentissimus D^{nus} intelligit, id non minus esse, quam si quis caelstibus
relictis terrena suspiceret, thesaurumque (id est cor) collocandum in caelo, eum in pro-

⁹⁹ Primus Regni Poloniae, Stanislaus Karnkowski, ab anno 1581. † 1603. **P.**

pinquis et affinibus suis aeterno^r) cum ad amno utriusque partis locaret. Quamobrem rogatam per sanguinem Christi velim Dnem V. R^{mam}, ut priusque tantae se militiae accingat, se ipsam quibusdam Divinis armis munit, tum ut istos Monachos iis praesidiis, quae (ea praesertim absente) erunt illis per necessaria, instruat denique commeatum, et viaticum illud sibi comparet, quae, si in proposito Episcopatu confirmabitur, ab ejus successore, cui dictum est: *confirma fratres tuos* ¹⁰⁰), erunt plus quam necessaria.

Ac de se ipsa quidem percuperem, ut id statueret, quod Moysen populum in terram promissionis introducturum, et Christum Dnum ruinas mundi instauraturum, fecisse novit. Is enim, secretus a multitudine, per aliquot dies ascendit ad montem, ut solus cum solo Deo loqueretur atque inde sapientiam atque lumen hauriret, unde utramque rem in innumerabilem populum unus ille homuncio derivaret. Christus autem Dns herem horridam petiit, ibi quadraginta dies et noctes, nulla re ad escam gustata, divinis afflatibus animam suam implevit, ut homo, qui tamen ut Deus omni sapientiae plenitudine refertus, et ipsa adeo sapientia erat, sic postea, ut justitiam omnem impletret, baptismo a Joanne baptisari voluit, atque inde emergens eructavit verbum bonum, et delectos Apostolos pauperes ad sui normam direxit, ac denique ex paucis illis, sed vivis lapidibus tantum aedificium extruxit, quantum satis erat ad ruinas Angelorum, et ipsum quoque caelum implendum. Quamobrem si sapiet, hoc rebus omnibus anteponet, atque aliquem ad se accerset, vel ipsa ad eum adibit, unde munieris sui rationem perfectionem possit petere. Sie enim et Paulus, a Christo ad inferendum ejus nomen inter gentes vocatus, non erubuit ad Ananiam proficisci, ac qui serio vel aeternae vitae di vitias contemplantur, vel qui sincere, ac sedulo cogitantes, quanto praetio constituerunt animae Christo Dⁿ, ista ut summi momenti negotia toto pectore complectuntur, reliquaque omnes cogitationes abjiciunt, ne cum tempus pugnae acciderit, aut arma non habeant, aut armis uti nesciant, aut turpissem vel humanis respectibus cedant, vel fulgiant, quia mercenarii sunt, non legitimi pastores.

Porro qui V. D. R^{mam} hoc tempore, aut saltem unius mensis spatio illam cælestibus aliquibus colloquiis posset consolari, ac divina quadam arte, quae ex ipsa Christi Dni vita petenda est, sciret ordine praemunire, neminem quidem ex aliis, qui isto tractu versantur, cognosco, cui haec satis essent cognita, vix enim semel aut bis istam Poloniae partem peragravi. Ac ut non essent alii, non diffiderem pietati nostrorum, qui in Posnaniensi collegio commorantur, quin Rector aliquem ad tempus ad V. D. R^{mam} de hac re, deque eidem tradendis quibusdam exercitiis spiritualibus allegaret. Quae si ab eo petierit ac sibi adhibuerit, estimet me insignem proditorem, nisi summa cum utilitate tantum praesidium a Deo ipso, cuius charitas urget me ad haec ipsi proponenda, acceperit. Nam et Ill^{ms} ac Reverendissimus Archiepiscopus Gnesensis novusque Rev^{ms}

r) extremo.

¹⁰⁰ *Luc. XXII. 52*

Cujaviensis Epus¹⁰¹), ut ^{q)} plerique alii omnes istud ^{r)} sunt experti, ac qui nudato rerum humanarum affectu, semoti autem ab aliis cogitationibus, se integrorum eorum exercitiorum usui tantisper dedidere, intellexerunt, et gustarunt altissimas sapientiae Dei vias, qui factus est nobis et gregi suo forma ex animo, non ex ostentatione, aut similis fui, atque mundi vanissimae speciei desiderio.

Tum vero a capite in barbam Aaron suavissimus hic liquor descendet, et eadem ratione munitos istos Abbatiae suae Monachos relinquet, ut cum muneri suo plenius satisfiant, et torpor iste, qui in hoc Regno in religiosos invasit, excutiatur, et haereticis oblatrantibus ille suarum haeresum quasi fomes extinguitur, ac vero semen relinquatur, quo meliores in sua Abbatia monachi suscitentur: ne dicam quod tum maxime curae (si salva esse velit) debet esse V. D. R., ut Abbas aliquis suo tempore in sui locum iis moribus ac pietate, et aetate sufficiatur, quo ipsi D. V. R. in die supremi judicii Dei, et in ipsa quidem mortis die non sit reddenda ratio. Qua in re obsecro ipsam per viscera charitatis Christi, ne det carni et sanguini, quod Christus D^{nus} majoribus nostris afflavit, ut dicaretur Deo, et Spiritui Sancto. Alioquin ipse qui scrutatur corda et renes, qui futura et praesentia intuetur, neque Episcopatui, si in eo confirmabitur, neque in aliis qualibuscumque functionibus adesset. Cum vero Ill^{mus} ac Rev^{mus} Archiepiscopus Gnesnensis paret seminarium Posnaniae, ex quo postea operarios in vineam suam educat, quid obstabit, quominus et ipsa eodem in seminario sex pauperes, sed qui specimen ingenii ac probitatis prae se ferant, alat, ex Abbatiae ipsius ^{s)} redditibus, ex quibus non adeo multum, sed quantum satis est, dematur, si tamen demi putamus, quod augendis etiam ipsis Ecclesiasticis redditibus percommode est, quandoquidem sine operariis concidant, aut sylvescant vineae necesse est, atque tandem vel fiscus capiat, quod non habet Christus, vel summa cum nominis Christiani, et hujus Regni ignominia ad haereticorum sinagogas fovendas invertatur, quod ad Ecclesiam Christi Dⁿⁱ sustentandam a majoribus nostris fuerat conversum, ut diximus ^{t)}. Jam quod ad Viaticum et conventum ^{*)} attinet, qui a V. D. R^{ma} comparandus erit, si ad propositionem episcopatum vocata fuerit, is non unius generis est, sicut V. D. R^{mae} notum est. Nam in Livoniam quasi novam Christi Dⁿⁱ vineam novum Episcopum ire, ubi praeter paucissimos operarios de societate nostra, qui sunt Rigae, et paucos aliquos ejusdem societatis alumnos, neminem alium in tota illa Provincia reperiet, qui tantum onus queat sustinere. Ac quidem adducendorum duodecim aliorum de Societate nostra ad eandem Livoniam R^{dus} Pr. Nostrae Societatis Praepositus Gralis, mandante Pont^e Max^o, curam nobis demandavit, quos partim adduxi, partim expecto. At quid hoc inter tantos populos? Eos vero, qui nec unius labii sunt, ac cum hi variis haeresibus, inde scismate Rutenorum imbuti sint, satis facessent negotii pastori, qui iam non unius Episcopatus

^{q)} et. ^{r)} ista. ^{s)} istius. ^{t)} dixi. ^{*)} rectius leg.: commeatum.

¹⁰¹⁾ Hieronymus Rozrazewski successit a. 1581. Stanislaw Karnkow. † 1600. P. 22 XXXI. C. 101

Livoniae, sed totius Livoniae dici poterit Episcopus. Quamobrem ut fidelis dispensator vel ipsis populis, quorum tria quatuorve sunt idiomata diversa, vel civibus, qui plerumque Germanice norunt, vel finitimi Rutenis, quibus instituendis, quae cura adhibebitur, ea tutandis exterioribus populis maximo usui erit, vel Svecis et Finlandis, addo item Danis, qui arces habent in Livonia, operarios et cibum, id est libros vario idiomate scriptos, distribuere debebit. Quos R^{ma} D^o V^a paret necesse est, antequam eo vadat. Seminario deinde excitato aut aliquo numero Livonum subinde collecto, qui Vilnam ad Collegium mitti poterunt, divina sensim se exeret ubertas, et bonitas, et succendentibus laboribus succendent crementa S^mae Christi Dⁿi charitatis, ut mirentur homines, ac laudent dicentes: quoniam digitus Dei est hic ¹⁰²⁾. At vero praesidiariis quoque ejus Provinciae prospiciendum erit, quorum bona pars cum sint Poloni, intelligit si minus operarii omnibus illis, quales esse deberent, adhiberi potuerint, libris tamen Polonicis eo magis hunc defectum esse supplendum, quod nisi aliquid habuerint, quo mentem bonorum librorum lectione pascant, inserent sese heretici sub specie Catholicorum suaque venena spargent, ut fiant novissima peiora prioribus. Porro curantur edi Rutenice quaedam et Catechismi eadem lingua Vilnae, qui inde peti poterunt. Ex Prussia item Sveci Catechismi, quos Brunsbergae reliqui, Germanici vero, et Polonici libri, qui haereses oppugnant, ac pietatis semina inserent, tum Posnaniae, tum Cracoviae, ac Vilnae comparari poterunt. Qua in civitate spero futuros perutiles libros, qui Parochis erunt necessarii: Biblia, Tridentina concilia, Breviaria, Missalia, Summas et reliqua ejusmodi, quae Venetiis Cracoviam, ut inde importentur in Livoniam, afferenda curavi, sed et in hoc itinere spero me commentarium de Livonia, quem habeo in manibus, confecturum, ex quo aliquid V. D. R^a lucis haurire poterit ad ea, quae ad divinum cultum pertinent, promovenda, si cognovero, id ipsi gratum esse futurum. Interea vero R. D. **Socolovii** ¹⁰³⁾ libellum de Episcopi consecratione quaeso perlegat meque orationibus et St^{is} sacrificiis juvari curet. Deus V^ae D. R^ae faustissima proximi sequentis anni initia, progressus ac finem concedat. Amen. Lovicij ¹⁰⁴⁾ XXII. die Decembris 1582.

¹⁰²⁾ **Exod. VIII. 19.**

¹⁰³⁾ Stanislaus Sokolowski, professor academie et Canonicus Cracoviensis, Confessor et Concionator celeberrimus Stephani Regis Poloniae, vir eruditus. Opp. ejus omnia theologica ed. Cracoviae 1591. P.

¹⁰⁴⁾ In regni Poloniae palatinatu Masoviensi, nunc gubernio Varsaviensi.

— 88 —

**INSTRUCTIO S. R. MTIS,
ILL. ET R^{MO} IN CHRISTO P. ET D. GEORGIO RADZIVILIO,
DUCI IN NIESVIES ET OLICA, EPISCOPO VILNENSI, LOCUM-
TENENTI S^{RAE} EJUSDEM M^{TIS} IN TOTA LIVONIA, AD PROVINCIAE
HUIUS REGIMEN, DATA RIGAE I DIE MENSIS MAJI ANNO D^N
M. D. L. XXXII., REGNI EJUS M^{TIS} ANNO SEPTIMO.**

A quandoquidem Livonia Provincia quae hoc tempore Summi Dei beneficio, post varias iactationes et procellas Reipublicae et nostros labores, sumptus ac pericula, e potestate Moschica ad nostrum devenit imperium, his initiiis rerum videtur habere opus, ut meliore ordine quam antehac gubernetur. Visum est nobis, donec aliud ab ordinibus Reipublicae decretum fuerit, hic locumtenentem nostrum constituendum esse. Quem cum constituissemus Ill^m et R^m in Christo Patrem D. Georgium Radzivilium Ducem Niesvezi et Olicae, Episcopum Vilnensem, certa quaedam capita facultatis illi a nobis commissae describenda illi putavimus.

Et primum quidem D^{nus} locumtenens dabit operam et advigilabit, ut religionis S. Catholicae fundamenta a nobis in Civitate Rigensi iacta indies maius incrementum capiant, et ita quidem ut etiam brevi in totam Livoniam dimanare possint. Id ita fiet, cum et ea quae recte copta sunt, seria manu tenebuntur, et conservabuntur, non solum frequentatione, sed etiam omni provisione, ne quid fiat contra, quam huic instituto et negocio sancto expeditat. Item ne desit iis, quibus cura templorum et rerum Ecclesiasticarum a nobis commendata est, auctoritate suâ, si quâ in re opus habuerint. Ceterum autem Sacerdotes quicunque submittentur, ut det operam ocius et sine omni morâ, pro locorum necessitate, praecipue Wendam, Pernaviam, Wolmariam et in alia loca ^{u)} eiusmodi expediri; quam ad rem rebus ecclesiae necessariis, uti viatico, calicibus, ornamentis, libris ^{v)}, ecclesias mandato nostro providebitur ^{*)}). Ita autem in omnibus moderatè et tranquillè sese gerere in promovendo religionis Catholicae negocio studebit, ut adversarii, aut eorum saltem praedicatores iuste ansam arripere non possint tumultuandi, et seditiones aliquas in populo excitandi. Quod si aliquando acciderit eiusmodi aliquid a peregrinis et advenis committi, quod paci publicae catholicorum adversari videatur,

^{u)} deest: loca. ^{v)} add. etc. ^{*)} leg. forsan: providebit.

et Magistratus vel non possit ei rei remedium adferre, vel etiam tergiversari velit ^w), tum ipse accersito Burgravio nostro, et cum eo communicato consilio, in delinquentes statuat, quod iustum fuerit, ut iustitiae satisfiat et pax ac tranquillitas conservetur.

Secundo loco sunt ea, quae ad pacem internam incolarum pertinent, quae tum certior et firmior sperari poterit, si vel injuriis mutuis abstineatur, vel si de admissis illis, semper qui ius dicat, in promptu aderit. Damus itaque facultatem Domino locumtenenti, ut non de antiquis quidem injuriis, sed quae illius tempore acciderunt ^x), ius dicere possit, iustitiamque debitam sine provocacione et dilatione omni, administret; sed hoc tantummodo de injuriis personalibus, et non occasione fundi aut bonorum. Exceptis bonis monialium occupatis, de quibus cum ipsi ob temporis angustiam cognoscere et iudicium ferre non possumus, D^{nus} locumtenens ea intelliget et iudicabit.

Tertium genus eorum est, quae ad pericula externa pertinent, in quae diligenter oculos in omnes partes intentos habebit D^{nus} locumtenens, et si aliquid eiusmodi ex ulla parte subolfecerit, si illud sit tale, ut minori negocio, et non difficultates ^y) opprimi et malo nascenti occurri possit, in eo tum eius militari vi, quem ^z) penes ^a) eum relinquimus, tum aliorum praefectorum militum consilio, opera et studio utatur. Quod si quid gravius et maioris momenti fuerit, de eo quam primum ad nos referet, et consilium a nobis requiret, qua in re ne ulla mora in periculo sit, de podvodis ^b) ¹⁰⁵) et celeribus equis providebitur.

Relinquimus etiam D^{no} locumtenenti stipendiariorum peditum nostrorum certam manum, quos in arce nostra Rigensi semper habebit, et quos ne longius evagentur, neve in homines injuriosi sint, in bono ordine et disciplinā conservabit.

Illud etiam D^{no} locumtenenti observandum erit, si quid e peregrinis hominibus Rigam negociactionum causa commeantibus intellexerit, de practicis vel conspirationibus aliquorum extraneorum Principum, de eo nos quam primum reddere certiores ne intermittat.

Cetera omnia quae sunt eiusmodi, ut magis ad ea res, tempus et occasio consilium subministratura sint, quam ut ea praesenti instructione comprehendendi possint, D^{nus} locumtenens ita ingenio, vigilantiā et industriā suā providebit, ut nulli occasioni, nulli necessitatī rerum bene et ex usu rerum ^{*}) Reipublicae gerendarum, quandoquidem nobis de ipso omnino pollicemur, defuisse videatur.

Stephanus Rex.

¹⁰⁵) Podvoda sunt praestatio jumentorum vel plastrorum; exactio antiquissima, latine angariae et perangariae vocata (vide *Ducange Gloss. lat. med. aevi*, sub voce angariae, [E. Brinckmeier *Glossar. diplom. I.* 91.]), de qua disquisitionem eruditissimam vide in *Dr. Rich. Roepell Gesch. Polens pag. 514. 515. not. 55 et 54. P.*

^w) volet. ^x) acciderint. ^y) difficulter — rectius. ^z) tum militaris viri quem. ^a) pene.

^b) podwodis. ^{*}) delendum videtur. ^c) deest.

CURATIO TEMPLORUM CATHOLICORUM RIGAE, COMMISSA D. R. JOANNI DEMETRIO SOLICOWSKI,

SECRETARIO REGIAE M^{tis.}

Stephanus Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae,
Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae et Princeps
Transsilvaniae.

Significamus quorum interest universis, cum recuperata Dei beneficio Livonia, nihil nobis fuerit antiquius, quam ut Religionem Catholicam Sanctae Romanae Ecclesiae pridem penitus ex ea exulantem, ad salutem animarum Christi sanguine redemptarum, felici postliminio reduceremus, ab ipsa civitate nostra Riga initium sumpsimus. Ad quam cum praesentes ipsi venissemus, et civium ipsorum nostrorum consensu duo tempa, alterum S^t Jacobi, alterum Monialium ordinis Cysterciensis S^t Benedicti in nostram potestatem recepissemus ¹⁰⁶), ea ipsa tempa cultui Sanctae Catholicae Romanae religionis addicere et restituere, ordinationemque temporaneam, donec plenior et exactior fundatio, et sacerdotum Dⁿⁱ praesentatio per nos fiat, instituere constituimus, prout per praesentes instituimus ac ordinamus in hunc qui sequitur modum. Inprimis R^{dum} Joannem Demetrium Solicowski scholasticum Vladislaviensem et Lanciciensem et secretarium nostrum, praedictarum Monialium et totius Monasterii curatorem ¹⁰⁷), et provisorem generalem ipsius etiam templi S^t Jacobi constituimus, eique tempa haec cum coenobio curanda et providenda tradimus, cum potestate constituendi quoscumque alios putaverit idoneos, et per se et illos redditus quoscumque utriusque templi colligat, exigat, et bona occupata recuperet, et eis ad cultum Dei sacerdotumque ac ministrorum templi provisionem utatur, et omnia, quantum ad praesens fieri potest, tam in monasterio, quam in templo S^t Jacobi in statum meliorem reducat ac reformat. Porro fundationes antiquas praedictarum monialium, quaecumque legitimae esse monstrantur, dotationesque bonorum omnium terrestrium, ut in civitate nostra Rigensi confirmamus et approbamus,

¹⁰⁶) V. *supra* note 75.

¹⁰² V. *Mitteilungen der Gesellschaft für Erdkunde zu Berlin*, 1908, p. 100.

et ad illa a quibuscumque possessoribus occupata repetenda et restituenda eidem R^{do} Secretario nostro plenam tribuimus et damus potestatem. Pro templo vero S^{ti} Jacobi assignamus et damus in primis florenos centum, quos civitas Rigensis pendere in annos singulos debet eidem templo et ejus curatori, ratione domorum quarumdam ad Canonicos Rigenses spectantium, prout hoc aliis nostris literis testatum fecimus et assignavimus ¹⁰⁸⁾. Deinde omnes alios redditus, pecunias et census S^{ti} Jacobi templi proprios, de quibus civitas suis literis testatur, cum domibus, cereis et cimiterio damus et assignamus. Qua de re aliis nostris literis ubi plenam fundationem, Deo volente, et ordinationem fecerimus, testabimur ¹⁰⁹⁾. Harum, quas manu nostra subscrispsimus, testimonio literarum. Datum Rigae prima die mensis Maii, Anno Dni M. D. LXXXII. Regni vero nostri anno septimo.

Stephanus Rex.

¹⁰⁸⁾ V. Decretum regium d. 7. Apr. 1582. in **Dogielis Cod. dipl. V. 313. nro. CLXXXV.**, ubi est: „Cum vero ex his Canonicorum et Capitularibus aedibus, census quidam annui ad Nos pertinuissent, horum intuitu Cives nostri Rigenses Nobis centum florenos Polonicos singulis annis in perpetuum pendere debebunt, quod et libere in se suscepserunt, quos quidem Nos iam exnunc nostro, et Successorum nostrorum nomine in necessitates templi Divi Jacobi in hac Civitate Rigensi Clericorum Catholicorum ritus donamus, assignamus, et addicimus in perpetuum, iuxta dispositionem Nostram, ita ut pars media eorum, quinquaginta videlicet floreni, pro festo quolibet Paschatis, reliqua vero pars pro die S. Martini quotannis numeretur, sine ulla mora, et impedimento, sub mulcta huic ipsi summae simili, quoties supra praefixo tempore iam expressa pecunia in Praetorio Rigensi requisita, Divi Jacobi Plebano, vel eius mandatario libere tradita non fuerit.“

¹⁰⁹⁾ V. alterum regis decretum d. d. eod., apud **Dog. l. c.**
